Bibl. Pr. Gen. S. I.
N. V n. 6

COMMENTARIA
IN LIBRVM EXERCITIORVM



PETRI FERRVSOLAE

E SOCIETATE IESV

COMMENTARIA

IN LIBRVM EXERCITIORVM

B. P. IGNATII LOIOLAEI

HISPANICE SCRIPTA LATINE REDDIDIT

IACOBVS NONELL

EIVSDEM SOCIETATIS PRESBYTER

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
F418
Alma, California

4
1560

BARCINONE

EXCVDEBAT FRANCISCVS ROSALIVS

MDCCCLXXXV

Exerc - 6401 12

BIBLIOTH. PRIVATA

APPROBATIO

Ego Fridericus Cervos, Societatis Iesu Presbyter, ex commissione A. I. D. Philippi Vergés, Vicarii Generalis Dioecesis Barcinonensis, legi librum, cui titulus: Petri Ferrusolae e Societate Iesu Commentaria in librum Exercitiorum B. P. Ignatii Loiolaei hispanice scripta, latine reddidit Iacobus Nonell eiusdem Societatis Presbyter, *qui quum nihil a catholica fide et pietate alienum, imo multa atque egregia vitae spiritualis documenta ad perfectionem ac regimen animarum spectantia contineat; dignum existimo ut typis mandetur.*

In Collegio et Domo Probationis Sanctae Mariae Verulensis, VIII idus Augusti, anno Dni. MDCCCLXXXV.

Fridericvs Cervos, S. I.

Imprimatur

Philippvs Vergés, Pbyter.

FACVLTAS

R. P. PROVINCIALIS PROVINCIAE ARAGONIAE S. I.

Quum opus, cui titulus est Petri Ferrusolae S. I. Commentaria in Librum Exercitiorum B. P. Ignatii Loiolaei, *ad latinam linguam a P. Iacobo Nonell, eiusdem Societatis, translatum, et in commodiorem ordinem dispositum, aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.*

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo Societatis nostrae munitas, dedimus.

Barcinone 21 *iunii* 1885.

IHS

Ioannes Capell, S. I.

L. ✠ S.

LECTORI BENEVOLO S.

Librum Exercitiorum Beati Patris Ignatii ita explicandum suscepit P. Petrus Ferrusola, non ut perpetuo commentario singulas libelli sententias expenderet atque explanaret; sed ita ut «aliquibus notis,» prout ipse loquitur, eas dumtaxat voces ac sententias illustraret, ex quibus sensus, mirabilis methodus, et caelestis plane spiritus, quo liber ille scriptus est, ostenderetur.

Quoniam vero earum notarum non paucae, illae potissimum, in quibus auctor acriori ingenio, uberiorique doctrinae copia, absconditum illum thesaurum patefecit, longius excurrunt, ut integram rerum tractationem complecti videantur; e re fore existimatum est, si notae universae, seiunctae ab Exercitiorum textu, in commodiorem ordinem redactae, ederentur.

Opus igitur duas in partes divisimus, quarum utraque sectiones novem, variis itidem capitibus distinctas, complectitur. Quae quidem capita, etiamsi plerumque singulis notis singula respondeant; nonnumquam tamen plures notae in unum caput coivere, et nota una in plura capita dispertita est.

Denique Exercitiorum textus, qui afferuntur, non ex vulgata, licet elegantiore, sed ex litterali versione fere desumpsimus; quippe quae ad hispanicum exemplar, quod auctor commentatur, propius accedit.

VITA

P. PETRI FERRVSOLAE [1]

Eximii huius maximique viri imaginem quibus verbis, vel qua ratione exhibeam vix invenio, quum res gestas, facta illustria quamplurima, et quae fidem inventura vix videantur, reliquerit, et duplex vitae genus persequutus simul sit maxime diversum, atque distractum; utriusque tamen veluti exemplum absolutissimum communi consensione habeatur. Natus est P. Petrus Oloti in Catalaunia nobili ac frequenti oppido Kal. Aug. 1705. Societatem ingressus Idib. Oct. 1722. Quumque ingenio esset acerrimo ac peracuto, indole praeterea optima; vivendi novam rationem tanto studio suscepit, ut brevi ab sodalibus suis dignus haberetur, in quem oculos, mentemque intenderent, qui perfecti tironis imaginem vellent intueri. Ab eo tempore intellexit, ac apud se statuit, virtutum ac scientiarum studia ea esse, quae ab eo exigeret Deus: utrumque igitur eo mentis conatu aggressus est, qui ad extremum usque spiritum crevisse visus; quumque ad illud eadem divina vi traheretur, sic utrumque est persequutus, ut

1 Ex libro, cui titulus «Vicennalia Sacra Aragoniensia,» a P. Onuphrio Prat de Saba S. I. scripto.

virtutum exercitatio numquam eum ab scientiarum comparatione retardarit: scientiarum studium ad virtutem omnem inflammarit ardentius.

Dum Philosophiae addiscendae navabat operam, incidit in *Hygiasticon* Leonardi Lessii: quumque ex eo didicisset quam parco cibo opus esset ei, qui maximo conatu litteris se totum addixisset, hoc invento laetus, quo et corpus ieiuniis affligi, et mens uberius ad scentias informari posset; regulae in se experimentum facere est aggressus, tam acri contentione, ut brevi in eam infirmitatem inciderit, quae medicis summum negotium facesseret, eumque in manifestissimum vitae discrimen adduxerit. Ab hac sensim infirmitate praeter spem medicorum recreatus, corroboratisque viribus, susceptum magna ingenii fama Philosophiae Theologiaeque curriculum, honoribus confecit amplissimis, tantaque sapientiae existimatione, ut eidem dum ad sacros ordines suscipiendos, propugnandasque publice theologicas theses se praepararet, demandata sit cura in potiorem planioremque methodum redigendi commentaria in Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii, quae maximo deinde plausu excepta sunt, et in Provincia universa ita probata, ut inter plurimos huiusce generis libellos nullus sit maiori loco habitus.

Iussus quae didicerat aliis tradere, docendi munus ita suscepit, ut solertissimi partes omnes magistri cumulatissime expleverit. Nam qui erudiendi ad eum veniebant, eos veluti a Deo curae suae commissos intuebatur, internaque voce admonebatur, ut paterna eosdem pietate amplecteretur, et in iisdem excolendis nullis laboribus parceret, nulla difficultate deterreretur. Equidem hanc inter plurimas a Deo acceperat gratiam: primo namque congressu sic alumnorum animos ac studia ad se trahebat, sic quisque

mirifice ab illo diligi sibi persuadebat, ut omnium veluti consensione non alio quam *Patris* nomine compellaretur; nec sane erat, qui maiori patrio amore eorum in scientiis ac religione profectum studeret. Difficile dictu est quae excogitarit, quae expertus sit, quantum insudaverit in eodem consequendo, quum nihil illi arduum ac laboriosum visum sit unquam, quod posset ad auditorum suorum commodum redundare. Hinc assiduae collationes ab eo sunt, quotidianae etiam repetitiones, institutae: ne quidem data sibi requie festivis diebus. Hanc docendi methodum quum tenuisset primo triennio, quo Philosophiam tradidit in Regio-Pontificia Cervariensi Academia; tantam optimi praestantissimique magistri in toto Catalaunensi Principatu famam nactus est, ut iussus iterum eodem docendi munere fungi, alumnorum ad se insolitam frequentiam traxerit; quos inter quum haud exiguum numerum intueretur, queis inopia maximo ad scientias comparandas impedimento esse debebat; aggressus est opus magnanimitatis eiusque paternae charitatis proprium. Redditibus incertis magisterii sui, et iis, quae ad eum quocumque obtentu veniebant, amplam domum locavit, supellectili instruxit necessaria, providit pluribus in domo exceptis ad victum et studium commoda, praesidem ex illis prudentiorem gravioremque selegit, vitae rationem praescripsit, et contubernium dici voluit ab Immaculato B. Virginis Conceptu. Neque tot curis, tantaque sollicitudine ab studio distractus est, quo erudiri ipse debebat, ut veterem, quam dicunt, Philosophiam, novis omnibus accessionibus locupletatam, auditoribus traderet; qua in re praeluxit ceteris eiusdem Academiae Professoribus ingenti omnium commodo, nec minori Academiae gloria.

Ab tanta in erudiendis alumnis contentione remissurus

quidquam P. Petrus videbatur, quum Theologiae Regius Professor in eodem Licaeo renuntiatus est; quum id magisterium nactus esset, quod unica quotidiana lectione continebatur. At is erat Petrus, cui in suscepto erudiendae iuventutis munere nihil esset otio ac quiete ingratius. Docendi cura, et sollicitus labor, qui augeri non posse videbatur, effectus est multo gravior diuturniorque, quum auditoribus assiduis repetitionibus, exercitationibusque adesset; Theologiam universam summis curis in eum ordinem redegerit, quo quadriennio tradi tota posset; neque contentus cognitionibus, quas ab hoc studio adolescentes retulissent uberrimas, voluerit eosdem in rebus ipsis latino nitore disserendis exponendisque, quos postmodum divini verbi praecones administrosque futuros sciebat, perfici ac perpoliri. Quam in rem dicendi artem personis ac argumentis tractandis accommodatam ex optimis magistris decerpsit, confecit, tradidit, alumnosque in eadem incredibili contentione ac constantia exercuit, ut quantum uniuscuiusque ingenium viresque paterentur, esset laborum suorum fructus omnibus communis. Neque enim solos praecipua sua cura eos existimabat dignos, qui acrioris essent acuminis, in quem errorem, aiebat, incautum praeceptorem pertrahi facile posse; sed et tardiores etiam solertiore diligentia provehebat, ut scientiae atque cognitionum quantum pro viribus possent, adipiscerentur.

Quod si huic docendi muneri tanta contentione suscepto, et ad finem usque perducto, praeter assiduum studium divinae illius scientiae, cui debuit vacare plurimum vir, qui novum exponendis divinis attributis, et aliis non paucis theologicis systema ordinarat, qui operam in graecis hebraicisque litteris addiscendis tantam collocavit, quantam plena utriusque cognitio requirebat, a quo suscipien-

do labore vel sola aetas quemcumque alium deterruisset, ea adiunxeris, quae Academia ipsa postulabat in crebris diuturnisque consultationibus, in examinibus ad multas noctis horas protractis, in plurimis longi laboris studique, quae decreto Academico ei committebantur; quum constitutiones omnes in meliorem formam reduxerit; quum opus quod inscribitur: *Formulae, sive conceptiones verborum Academiae Cervariensis* in conferendis Laureis ordinaret, edideritque, quodque perfici sine diuturno studio non potuit; totque alia ob quae praeter ceteros omnes de Academia illa communi consensione benemerentissimus habebatur: si haec, inquam, addideris, Professorem effeceris, cui miraberis, non dicam vires, sed vitae tempus fuisse satis.

Atqui quo tempore tanto conatu docendi muneri dabat operam, eodem apostolici ministri partes omnes adeo strenue amplectebatur, ut omni litteraria cura vacuus, et soli procurandae proximorum saluti intentus videretur. Neque quidquam ex eo conatu remisit toto tempore, quo Collegio praefuit, etsi novi templi exstructionem suscepisset, cui invigilare ipse debebat, et quae necessaria erant providere. Surgebat summo mane, viribus somno necessario vix refectis, et priusquam reliqui excitarentur, persolverat ipse quae ab domestica disciplina praescribebantur. Audiebat eos, qui expiandae conscientiae causa illum conveniebant, qui et frequentissimi erant ex omnibus ordinibus, et ex alumnis suis non pauci. Praesto aderat consilium ab eo directionemque requirentibus; nunc hos, nunc illos ab vitiis ad honestatem facili sermone, sed divinum ignem spirante, revocabat; dissidentes ad concordiam, inimicos, sublatis exstinctisque simultatibus, ad pacem, mira qua pollebat arte, mutuumque amorem pertrahebat. Vocaba-

tur assiduo, ut morti proximis adesset, opem spiritualem auxiliumque laturus, ad quod insignis charitatis ministerium egregie obeundum multa acceperat a Deo et dona singularia, quibus in eo vitae discrimine constitutos mirifice consolabatur, erigebatque ad sustinendos fortiter dolores, excipiendamque aequo animo et alacriter mortem, proposita Salvatoris nostri morte crudelissima, eiusdem in nos amore singulari, quibus ad peccatorum detestationem, ad spem veniae firmissimam, obtinendaeque aeternae salutis, ducebantur. Ei carcerum et nosocomii commissa cura erat, sibique commissos non patiebatur eius praesentiam, opem, auxilium desiderare: invisebat utrosque crebro; erigebat afflictos prostratosque; erudiebat sanctissimis religionis institutis ad plenam criminum expiationem; gravissimis adhortationibus, dulcique ratione ad divinum amorem, et solam animi sollicitudinem excitabat.

Neque privatis hisce publicisque ministeriis insudans impediebatur quominus assiduus esset in concionibus, in exponenda catechesi, in religionis exercitationibus obeundis, quibus in omnibus avidissime audiebatur, quum ob copiam, facilemque dicendi vim, qua in ratiocinando utebatur, tum ob artemne, an divinum donum, dicam? quo audientes inflammabat sacro illo igne, qui ex eius dicentis ore emicabat. Quum vero docendi munere solutus, in Theologica Facultate emeritus, Decanus etiam esset, neque iam quotidianis lectionibus exercitationibusque premeretur; procurandae impensius proximorum saluti operam omnem contulit. Spiritualia exercitia indixit publica, sacra Novendialia tum Indiarum Apostolo Xaverio, tum Immaculatae Deiparenti, tum sacro Crucis Ligno, quod in ea urbe insigni miraculo illustratum summa religione colitur: quae prope omnia efficiebat ipse per sese crebris ad populum

concionibus, quibus is ad pietatem, virtutesque omnes accenderetur.

Dum hisce insudabat ardentius, et aliis plurimis, quae copiosius elegantiusque, pro singulari sua dicendi vi ac venustate, litteris mandavit Blasius Larrazius eiusdem in Philosophicis studiis auditor, et plurimorum annorum contubernalis, qui P. Petri omnia noverat, a quo nos quae summatim persequimur, hausimus; dum haec, inquam, in commune animarum commodum tanta contentione conferret, coactus est sexagenario maior ab omni opere cessare, et ductam ad eam usque aetatem vivendi rationem laboriosissimam in aliam omino diversam transferre; cedere urbi, quam tot laboribus sudoribusque tot annos, tantoque conatu excoluerat; valedicere tot alumnis sibi charissimis, quos litteris ac pietate Deo enutrierat; Academiae, cuius splendorem ac gloriam ut amplificaret corroboraretque, nullis ipse laboribus vigiliisque pepercerat; tota etiam Hispania carere regio ex imperio: et aegrum corpus assiduis curis, vigiliis, laboribus fractum alio transferre, ubi tertius ac postremus vitae actus, quo ipse spiritu duceretur, ostenderet.

Ab eo tempore sibi, Deo, libris, siquos nactus esset, vacare assiduo constituit, nisi ab iis interpellaretur, qui eum consilii, solaminis capiundi causa convenirent, quos difficillimis temporibus omni ratione ad patientiam aequanimitatemque corroborabat, ac hortabatur, ut divinae voluntati sese alacres submitterent, neve paterentur ullam propositae mercedis partem perdi in ea tempestate subeunda. Diuturnae navigationis incommoda, angustias, molestiasque omnes experiri voluit integras, nullo levamine mitigatas; imo quum fluctus ingruerent, navisque hinc inde iactaretur, quum acrior saeviret procella; tum se-

cum benignius agi exclamabat. Ducebat in arctissimo loco, qui ei obtigerat, totos dies in caelestium meditatione, in fundendis precibus, quas intermittebat libri, siquem invenerat, lectio, vel brevis cum sociis confabulatio, qua sensus suos robore ac fortitudine in tanta rerum omnium perturbatione plenissimos, communicabat. Centesimum, ac vigesimun post diem, quo ab portu Salovii solverat, appulit ad S. Bonifacium, exceptusque est arctissima in domo, et arctius etiam collocatus, quum conclavis socios habere debuerit, quot loci angustiae patiebantur, vel quot locus ipse lectulos capere posset. Inde tamen vix unquam egressus est, nisi necessitate coactus, vel sacra facturus propinquo in sacello. Qui rerum status minus ei molestus accidisset profecto, si libros quoscumque habere potuisset. At hi nullibi reperiebantur in miserrima urbe, in qua nequidem ad scribendum necessaria ullo proposito pretio prostabant. Interea dum ab Italia aliquod in hac re litteraria subsidium praestolabatur, incredibili conatu adlaborabat P. Petrus, ut in mentem revocaret sexcentos illos versus graecos, quos ex Giraudovii grammatica graeca quondam didicerat, nec videre se posse ulterius sperabat, nisi ipse e mente in chartam eosdem transtulisset. Cessit ex sententia conatus non sine maximo labore, et quaesitis, qui ubique inter socios reperirentur nunc his, nunc illis libris, solitudinem varia, prout sors obtulerat, lectione recreabat, quod ex eius collectaneis plurimis facile ostenditur.

His rerum omnium angustiis exegit annum integrum, quo apud S. Bonifacium commoratus est, ingenti animi voluptate, quam verbis etiam significabat, quoties se exsulem appellabat. Inde iussus est iterum in Italiam navigare, superatisque terra marique incommodis ac difficultati-

bus plurimis, constitit tandem Ferrariae, ubi eam vivendi rationem, quam ab indicto exsilio inchoarat, ad mortem usque constantissime est persequutus. In hac solitudine ingens opus pene absolvit, quod dudum animo agitabat, circa Spiritualia Exercitia S. P. Ignatii in tres partes divisum, quarum prima exhibet verba meditationis perpetuis notis illustrata, ex quibus sensus, mirabilis methodus, et caelestis plane spiritus, quo liber ille scriptus est, ostenditur. Secunda, et cui, veluti minoris negotii, postremas curas destinarat, easdem meditationes fusius expositas continet. Tertia brevem vitae enarrationem viri illius sanctissimi persequitur, eo ordine propositae, ut facile appareat, Ignatium ad summam christianam perfectionem a Deo ductum eadem illa via fuisse, qua ipse ceteros ducere aggreditur. Praeter haec ingentem materiam congessit, quam destinarat Institutionibus Philosophicis ac Theologicis, quas aggredi statuerat, quin laboris immensi moles senem deterreret viribus quidem fractum, dicere vero solitum, quietem sibi nullam in hac vita gratam, quam solum in altera speraret plenissimam.

At dum haec animo versabat, conatu eo contentus est Deus; namque ex insolita virium infirmitate et aegritudine, iam a mense Februario contracta, cognovit P. Petrus adventare vitae ac laborum finem, et mortem tanta alacritate intuebatur, urgebatque, ut illius desiderium moderari coactus sit, ne quidquam in eo esset, quod posset Supremo Numini displicere. Effundebat sese in ardentissimos divini amoris affectus, in vota, precesque, ut solus Deus ab se, suisque omnibus glorificaretur; cordis vero alacritatem maximam toto ore ostendebat, multo etiam manifestius quum sacro viatico muniri posse ex medici sententia intellexit. Priusquam caelesti pane corroboraretur, latino

usus sermone, tria praecipue esse sibi roboris dixit in eo vitae suae statu: criminum suorum primum vehementissimam contritionem; consolationem deinde, quam consequi verbis nullis poterat, quod in arrepto vitae instituto, atque in ea rerum perturbatione moreretur; demum firmissimam spem, qua certo confidebat futurum, ut quod ei in terris prae ceteris erat antiquius, divinis id benedictionibus cumularetur. Addiditque praecipuas B. Virgini gratiarum actiones pro multis in eum collatis beneficiis, quodque voluisset eius imaginem ab incendio salvam ab America ad suas manus pervenire. Sacro refectus cibo die Maii duodecimo, decimoquarto postulavit, ut sacra unctione corroboraretur, et integris sensibus usus ad vigesimum usque, quo die ultimis verbis prolatis, dulcissimo scilicet Iesu et Mariae nomine, sensibus destitui visus est, ad primam vigesimi quarti diei horam, qua placide obdormivit accepturus a Deo plurimae virtutum exercitationis in triplici vitae actu aeternum praemium; atque in templo a Iesu in fornice non procul ab ara maxima sepultus est.

Namque ut ab fide exordiamur, ita se gerebat, ac si praesens Divinum Numen corporis etiam oculis intueretur; ad hanc sese excitabat ab conspectu creaturarum, a quibus raptim ad Creatorem ferebatur, eiusque potentiam, sapientiam, amoremque infinitum prosequebatur tenerrimis gratulationibus. Hanc exercendae fidei rationem et faciebat ipse plurimi, et iis, qui in eius se disciplinam tradiderant, incessanter commendabat. Hinc in orando ardor ille spiritus, quo inflammari totus videbatur; hinc in sacris aedibus singularis modestia, et animi demissio, quum praecipue ad aras faceret: hinc in solemnioribus Domini diebus maxima alacritas, qua ostendebat quantum ipse optaret, ut omnes recte planeque intelligerent quid ab

unoquoque Ecclesia contenderet in eorum festorum celebratione. Quum ardua, et humano obtutui impenetrabilia mysteria pertractaret, iterabat crebro: *Tibi vero gloria, Deus Optime Maxime, quod haec quanto minus capio, tanto credo firmius.* Submittebat mentem alacriter religionis rebus omnibus, et quae in controversiam veniunt, sacrorum librorum difficultates tanta cautione tractabat, ut nefas duceret ab Patrum sensu decedere, ac detestaretur privatam licentiam in decernendis iis, quae quoquo modo cum fidei veritatibus connecterentur. Adlaborabat summo studio, ut religionis mysteria ab omnibus colerentur; Salvatoris nostri dignitatem, merita, cultum altissime omnium mentibus ingerebat; in promovenda autem B. Mariae Virginis gloria, Immaculati praesertim conceptus privilegio tuendo, tantam operam contulit, ut difficile dictu sit quae, quanta, quantisque curis aggressus sit, et perfecerit. Alumnos omnes suos in B. V. cultu crebris adhortationibus inflammabat; quos Christo alebat, eosdem Beatissimae Matri devotissimos reddebat, de cuius privilegiis, gloria, cumulatissima sanctitate numquam non inflammato vultu, verbisque ignem spirantibus disserebat. Effecit profecto hoc suo studio, ut Deiparentis laudibus tota civitas diu noctuque personaret; neque hisce contentus, quae in urbe fiebant, ut eadem universae Hispaniae essent communia vehementer satagebat. Rapi vero extra se visus est postremis temporibus quum Beatissimam Virginem sub titulo Im. Conceptus, Hispaniensium omnium regnorum pontificio ac regio decreto Patronam declaratam vidit; et donum eidem B. Virgini retulit acceptum, quo nullo fortasse in terris affici potuisset iucundiori ac gratiori.

Siquidem paulo post delata ad ipsum est ab America imago eiusdem B. Virginis *ab incendio* dicta. Non procul

scilicet ab urbe Salta apud Tucumannos in Regno Paraquariae anno 1745 incendium maximum ad decem et octo horas protractum rusticam domum in cineres totam redegerat, quos inter, exstincto iam igne, inventa est statua semipalmaris B. Virginis Conceptae, ex ligno odorifero, et valde oleoso, quae consumptis omnibus, sola ab universa conflagratione incolumis evasit. Rem mirabilem, omnique humana ratione superiorem, testibus omni exceptione maioribus corroboratam, simul cum statua ab illis regionibus ad P. Petrum misit Vincentius Sansius eius olim auditor in philosophicis, et qui probe noverat, quo loco munus illud habendum ab eo esset. Suscepit enim vero Petrus victricem ab flammis imaginem veluti donum ab ipsa Deiparente ad se de caelo missum, novumque ac prope divinum testimonium, quo eiusdem conceptus immaculatus declarabatur; nec quamdiu vixit munus hocce recordari, nec morti proximus meminisse, sine effusissimis gratiarum actionibus potuit. Sacellum ab fundamentis erexit magnificentissimum; in quo Kal. Decembris 1765 mirabilis statua collocata, erectique omnium animi, ut novis assiduisque obsequiis triumphantis Deiparae Conceptum prosequerentur.

Vigentissimae fidei respondebat firmissima spes, quam mirifice excitabat in eis, quos adloquebatur. Audivi ab eo non semel, quum de re, quam vehementer optabat, disseret: *Hanc ego enixe obsecro, eamdem firmissime spero, quam nisi D. O. M. mihi dederit, certus sum, daturum meliorem potioremque.* Hoc fundamento innixus nullis frangebatur adversis, dicere solitus, nullum sibi certius optimae frugis pignus, quam adversaria, quae quo essent maiora acerbioraque, eo sibi maiorem optatae rei spem facerent. Nihil proinde impossibile, nihil difficile ei obiiciebatur:

aggrediebatur confidenter quaecumque e re divina fore intelligebat, et omni licet humana spe destitueretur, alacriter suscipiebat, sibi crebro ingeminans: *Proh! quantum interest animadvertere in quo spem tuam collocaveris: mihi adhaerere Deo bonum est, ponere spem meam in Deo salutari meo.* Siquem nactus erat in hac spe minus, quam vellet ipse, firmum, increpabat acriter, propositisque firmissimae spei causis, ad recte sperandum erigebat. Hac spe inductus in magistri munere sese plurimis commisit, quae robustum quemque, et maximis valentem viribus sin minus ab aggrediendo, ab prosequendo certe deterruissent: existimabatque se Supremo Numini fore graviter iniurium, nisi tam firmam atque amplam in eo spem collocaret; nec unquam sibi defuturas vires existimavit, ut ea, quae ab ipso Deus vellet, exsequeretur: quin et in maxima rerum omnium caritate aggredi non dubitavit novi templi exstruendi substructionem, quae sumptus exigeret omnium iudicio necunde corrogandos.

Quantum ingenii acumine valebat, quantam in studiis operam collocaverat, in id praecipue intenderat ab adolescentia, ut quam posset maximam de divinis perfectionibus cognitionem nancisceretur, qua deinde ad earumdem amorem ardentius raperetur. Aucta novis studiis, diuturnioribusque rerum divinarum meditationibus hac Supremi Numinis cognitione, mirum quantum aetate creverit eius in Deum pietas, et divinis de rebus existimatio. Adfui ipse ei spirituales exercitationes pluribus e nostris exponenti, neque vereor fateri, nihil a me auditum unquam in hoc argumento, quod pari Divini Numinis et Servatoris nostri cognitione mentem repleret, percelleretque, corda vero ardentius inflammaret. Hisce omnibus uberrime instructus ferebatur in mirificum amorem erga omnes: nec homo erat

adeo abiectus, quem ille divina charitate non complecteretur arctissime, cuius salutem quacumque posset ratione non procuraret. Virtutis vero huiusce quum exempla plurima occurrant, brevitatis studium nos cogit, ut paucis rem totam conficiamus, quum quae innuerimus spondere pro reliquis posse existimemus.

Integra et frequens familia errabunda gentis illius, quos Itali *Zingani*, seu *Boemi*, hispani *AEgyptios* vocant, praestigiatores vero vulgus credit, regio ex imperio quum omnes ad unum in hispaniensibus regnis in carceres detruderentur; Cervariae detinebatur in summa humani cuiuscumque auxilii caritate: namque et ipsi maxima laborabant inopia, et praeconcepta pessima de illis opinio, quos cultu, lingua, moribus ab communi usu valde abhorrentes intuebantur, retrahebat ab misero conspectu eos, qui opem ferre aliquam potuissent. At neque haec, neque ulla res alia potuit P. Petri charitatem retardare. Amplexus est eos paterno singulari affectu, et ut mira arte pollebat, qua omnia omnibus fiebat, eos sibi mirifico amore devinxit. Erudiebat eos sanctissimis religionis nostrae elementis, inde veritates eis illas exponebat, quarum auxilio miserrimum rerum statum, carceris squalorem, iacturam libertatis, sortis suae incertum exitum tolerarent. Adloquebatur eos tenerrimo cordis affectu, nec quidquam eius ingeniosa charitas praetermittebat. Abunde eruditos induxit in plenam peccatorum expiationem, studuitque ut ex miseriis illis optimae frugis messem reportare discerent. Corrogatis undique quae ad victum, cultumque corporis pertinebant, vix dies elabebatur, quin eos, maximis licet distractus curis, inviseret, dulcibus consolaretur verbis, et novo amoris pignore moerorem, inediamque sublevaret; nec unquam eos conveniebat, quin omnium exsultan-

ti iubilatione, quae ab foro exaudiebatur, exciperetur, et Pater consalutaretur.

Paucis mensibus, quibus sacerdotio initiatus, commoratus est Gerundae, accidit ut morti addiceretur gregarius miles, qui alterum e superioribus suis interfecerat, a quo dudum poena fuerat multatus. Audivit imperterritus proximae turpissimae mortis nuntium, qua haud caro se emere dicebat voluptatem in se ulciscendo expertam, et cuius recordatione sublevatus, honoris vitaeque iacturam nullo loco habebat. Neque deduci ab hac insania ulla ratione poterat, ac proinde induci, ut animae saluti prospiceret, irritosque reddiderat plurium conatus, qui hac de causa eum convenerant. Perculit Petri animum proxima hominis pernicies, factaque ab Superiore potestate, advolat ad reum, effundit sese in omnia quae charitas ardentissima suadere solet; flectitur obfirmata in scelere mens ad insaniae suae cognitionem pertracta ; detestatur commissum facinus, quod uberrimis lacrimis prosequitur, et ad solam animae salutem convertitur: quodque reliquum erat temporis doloris, poenitentiae, spei, reliquarum virtutum exercitationibus dedit. Quum philosophiam secundo triennio traderet, vocatus ab aegro est, quem pestifer morbus ad necem multa vi pertrahebat, ut eius confessionem exciperet. Id vero quum pro utriusque votis praestari non posset, nisi aegrotanti proxime adesset, ascendit in lectum intrepidus, atque aegri lateri accubuit virulentam morbi vim hauriens quamdiu opus fuit, ut aeger plenissime consolaretur. Inde letali illo morbo est correptus, et brevi ad certam vitae desperationem perductus. Difficile dictu est quanto in moerore fuerit tota civitas hoc casu perculsa, quantae supplicationes susceptae, quot preces, quantus ad templa concursus ex omnibus ordinibus. Audiit eorum vota Deus.

Eodem charitatis spiritu actus in simile vitae discrimen incidit cum Cervaria transissent gallicae legiones ex Lusitania redeuntes, quae ingentem numerum pestifero morbo laborantium in eo nosocomio reliquerant. Adfuit illis P. Petrus, et ut gallice expedite loqui noverat, se totum eorumdem spiritali commodo devovit, ut qui magnopere optabat charitatis victima obire. Perculsus est sane eodem morbo, inque vitae discrimen rursus perductus: rursus universae civitatis ad Superos vota, eoque ardentiora, quo concepta de eius sanctitate opinio, fructus ab eius sudoribus reportatus tot annis eum reddiderat chariorem. Nec sustinuit Deus irritas esse eorum preces; at Petrus ad familiarem suum scribens, id accidisse aiebat, quod indignus ipse esset, qui tam gloriosa morte occumberet: sperare se nihilominus, ut si tertio eodem Dei beneficio exciperetur, quod maxime optabat, id ex sola divina misericordia adsequeretur. Uno verbo omnia complectemur, quum dixerimus, eum nihilo aestimasse res omnes terrenas, vitam etiam suam nisi ea plane Deo, aut Dei intuitu proximis suis, famularetur.

Hisce maximae charitatis sensibus ab iuvenilibus annis imbutus, quum ignorare haud posset ex communi omnium sermone quanta esset de eius ingenio et doctrina illustris ac pervagata fama, quantos ex utraque re hominum plausus esset excepturus, confecto primo Philosophiae tradendae curriculo, efflagitabat acriter ab Provinciae Praeside, ut campestribus missionibus destinaretur, vitamque in erudiendis rusticis ponere totam liceret. Quod quum non obtinuisset, et tradendis scientiis addici se videret; in id totus incubuit, ut quam in excolendis rusticis ponere operam non posset, eam in urbanis pietatis religionisque exercitationibus, inque efformandis iis, qui ministeria deinde

eadem subire cum fructu, et laude posset, collocaret. Hinc assiduae catecheses, conciones; spiritualium exercitiorum explanationes; indefessa in componendis dissidentibus animis sollicitudo; in procuranda domestica civium concordia ardens studium; in evellendis vitiis, inserendisque virtutibus labor omnis quietis inscius; aegrorum, miserrimorum, abiectissimorum vigilantissima cura: quibus omnibus, quo pacto tot annis respondere potuerint corporis vires, nullo praesertim adiumento refectae ac recreatae, nemo profecto, mea sententia ex humana ratione definiet.

Namque omnem sibi relaxationem interdixerat, brevi illa contentus, quae prandium sequebatur, ac coenam; quamque ipse spiritalem collationem, vel litterariam efficiebat. Simplici meridiano victu refectus, parcebat prope omnino coenae: mane inediam sublevabat modico pane vino plurima aqua diluto, quin per annos quadraginta cocolaticam degustarit. Solitudini suae addictus vix unquam adduci potuit, ut relaxationi alicui indulgeret. Quum Ferrariam venissemus, et eodem contubernio uteremur, dies quoque esset festus S. Francisci Xaverii, quem ipse summa religione colebat, suadebam ut me comitem non detractaret, veniretque at templum, cui a Iesu nomen, quod a domo nostra non valde distaret: persuasi, et functum pietatis ac religionis officiis reduxi domum minus id quidem advertentem per amplissimam quam vocant *Angelorum* viam, quumque ad angulum palatii Marcionis Villae pervenissemus: constiti, hortatusque sum eum, ut quatuor ibi concurrentes vias intueretur, ex quibus urbis amplitudinem facile intelligeret. Morem gessit oranti quam levissime potuit, demissisque statim ad terram oculis, ad me conversus, inquit: *At S. Bonifacii statio plus praesefere-*

bat exsilii; ex quibus cognovi quantum ipse exsilio suo delectaretur, quamque idem optaret terrena quacumque re spoliatum, quae illud posset minus asperum reddere, minusque molestum. Laudaveram saepe apud ipsum in pomeridiana brevi confabulatione moenium aedibus nostris viciniorum amoenitatem singularem, quam arbores plurimae, et umbrosae, multiplici ordine consitae, diversi flores, quibus solum viride spargebatur, reddebant oculis iucundissimam, medio praesertim vere, quae tunc erat anni tempestas. Eadem cum iterassem, tandem morem mihi gesturus potius, quam voluntate fortasse inductus, velle se dixit, me comite, amaenitatem illam intueri. Vidit, commendavit maxime locum, quo exspatiari animus plurimum posset, at eadem oculos relaxatione secundo frui non est passus.

Neque quum corpus adeo male haberet, oneraret ingentibus laboribus, iusta quiete ac refectione nulla, nisi penitus necessaria sublevaret, parcebat proinde aliis, quibus affligi, ac torqueri posset. Frequens ei erat flagrorum usus, frequentior ferrei cilicii cruciatus. In se vero adeo ferreus quum esset, erat in alios mirifice mitis, et alacris, nec umquam auditus est aliorum vivendi rationem minus rigidam improbare, neque sustinuisset id fieri se coram; imo si quos domi noverat honestae alicui relaxationi indulgere aliquando, non plaudebat modo, sed ad brevissimum licet tempus eidem intererat festivus, exhilaratisque paucis verbis animis, ad solitudinem suam revertebatur. De se suisque omnibus quemque sentire pro libito facile patiebatur: siquis vero alius absens improbaretur, defensionem eius suscipiebat ipse fortiter, quum factum non posset, intentionis rectitudinem obtendens. Id non in alienis modo rebus, sed in suis etiam praestabat alacriter, quo-

ties sciebat, easdem apud aliquos male haberi: horum auctoritatem adeo non curabat infringere aut debilitare, ut potius laudibus oneraret amplissimis. Inter quaedam in scriptis ab eo relictis adnotata exstat huiusce in proximum charitatis exemplum luculentissimum. Versabat scriptorem quemdam, quumque nonnulla notaret, quae minus placere ei poterant, non potuit eius in hac re cautissima religio conquiescere, quin in eadem charta, quam sibi dumtaxat exarabat, haec subiungeret. *Haec auctoris, ut mihi quidem videntur, vitia scis, Domine, eo dumtaxat animo a me privatim notari, ut ipse eadem per tuam gratiam fugiam. Nihilominus vere suum ipsius opus est multi studii, multique laboris, atque, ut iudico, coram Te multi meriti.*

Atque ex hisce pronum est intelligere, quae fortitudinis temperantiaeque eius vis fuerit, et natura; quanta eius animi demissio, quam ex Apostolo discimus ex vera charitate proficisci. Theologicis luminibus, quibus tantopere illustrabatur, quanto manifestius in divinarum perfectionum cognitionem, religionemque ferebatur, tanto intelligebat clarius infirmitatem propriam, quamtumque eius agendi ratio ab ea perfectione distaret, quae Deo digna, par luminibus ab Divina Bonitate acceptis haberetur. Hinc morti proximus publice se maximum peccatorem profitebatur; hinc usus ille assiduus inquirendi etiam infirmorum in rebus agendis opinionem, quam respuere numquam, laudibus prosequi solebat amplissimis; hinc conatus ille, quo honores a se omnes depellere aggressus est, declinavitque Collegii maximi Valentini administrationem cum Rector esset renuntiatus: hinc facilitas illa, qua traditam quandoque doctrinam mutare se professus est veritatis sectator eximius ab rationibus alumnorum suorum pertractum. Quin et ab publicis exercitationibus

quum aliquando de altero alumnorum suorum minus faventem opinionem animo concepisset, cognovissetque deinde eumdem in privatis collationibus longe alium sese ostendere; alacris et libens publice de eo conceptam opinionem retractavit, omnemque operam contulit, ut adolescens ille quam ingenii studiique privatim laudem fuerat consequutus, eamdem in publicis quoque actibus tueretur. Quidquid ipse aggrederetur ardenter avideque sive in litteris, sive in procuranda proximorum salute, ad nutum Superiorum intermittebat alacriter, vel omnino etiam deferebat religiosae obedientiae cupidissimus exequendae. Atque virtutis huius amore exsilii legem ore imperterrito praestolatus est; quumque plurimi ex domesticis externisque ad eum confluerent consolandi sui causa, audirentque eo de argumento impavide disserentem ; gravissimus quidam in ea urbe vir tantam animi constantiam demiratus, ab eo quaesivit: quo tandem animo perferret distractionem illam ab charissimis sibi civibus, ab Academia, ab urbe tota, quam tot sudoribus per tot annos excoluerat? Eo animo retulit Petrus, ut si ita Deo placeret, esset mihi multo tolerabilius collum carnificis gladio solus submittere, quam sociorum distractionem exsiliumque intueri.

Harum virtutum exercitatione quum magnam de se opinionem ubique excitasset, desiderium eius quae consolaretur, expressa est graphice eiusdem demortui imago postulantibus pluribus, cui subiecta est haec inscriptio:

P. Petrvs Ferrvsola
D. Theologvs Soc. Iesv
insigni ervditione et doctrina
pvblico Theologiae per xx. annos magisterio
ardenti divinae gloriae stvdio
et erga Im. Parentem eximia animi devotione
clarissimvs
obiit Ferrariae viii. Kal. Ivn. Mdcclxxi.
qvvm vixisset an. lxv. m. ix. d. xxiii.

PARS PRIOR

EXPLANATIO VIGINTI ADNOTATIONVM, QVAE EXERCITIA PRAECEDVNT

SECTIO I

DE ADNOTATIONIBVS GENERATIM CONSIDERATIS

CAPVT I

ADNOTATIONES, NON EXERCITIIS PRESSIVS SVMPTIS, SED DOCVMENTIS, ANNVMERANDAS ESSE

Liber Exercitiorum a S. P. Ignatio perscriptus, dividitur plene seu, ut dialectici loquuntur, *adaequate*, in spiritualia Documenta, et Exercitia pariter spiritualia.

Spiritualia, inquam, id est, ad christianam perfectionem, quae tota spiritualis est, pertinentia: eo quippe sensu solet vox *spiritualis*, quum in Sacris Bibliis, tum in scriptis Sanctorum Patrum, usurpari.

Documenta quidem voco, dictamina quaedam, quae B. Pater Ignatius tradidit, ut nos in via christianae perfectionis dirigeret; quales sunt Adnotationes, Regulae, et alia, quae in Exercitiorum libro scripta reperiuntur.

Exercitia vero sunt exercitationes variae ad eamdem christianam perfectionem consequendam valde idoneae; cuiusmodi sunt oratio tum mentalis tum vocalis, examina, etc.

Quamvis enim hoc nomine «Exercitiorum Spiritualium» B. Pater exercitationes has omnes in prima Adnotatione universim complectatur, ut inferius dicemus; illud tamen specialiori quodam sensu per totum post-

ea librum meditationibus contemplationibusque attribuit: neque aliud iam nomine Exercitiorum Sti. Ignatii, quam ipsius meditationes et contemplationes, intelligi vulgo solet. Verum praedicta divisio, quum omnes libri partes breviter distincteque contineat; ad plenam totius rei cognitionem summopere confert.

Summus ipse Pontifex Paulus III in Brevi *Pastoralis Officii,* quo librum Exercitiorum approbat, non semel eamdem divisionem significat. Postquam enim preces Sti. Francisci Borgiae, approbationem postulantis, exposuit, «Nos igitur, inquit, qui *Documenta* et *Exercitia* huiusmodi examinari fecimus,... pietate ac sanctitate plena, et ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus.» Et paulo inferius: «*Documenta*, ait, et *Exercitia* praedicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate praedicta, tenore praesentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus: hortantes plurimum in Domino omnes et singulos, utriusque sexus, Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis *Documentis* et *Exercitiis* uti, et illis instrui devote velint.» Quibus in verbis praedicta divisio innui non potest apertius.

Verum quidem est, librum Sti. Ignatii vocari absolute «librum Exercitiorum;» et merito, quum omnia, quae continet, ad exercitium et operationem referantur. Id tamen, quod in illo est praecipuum, et pluris quodammodo nobis faciendum, sunt Documenta illa exercitiis intexta, quibus et finem particularibus exercitiis praestitutum, et media ad huiusmodi finem consequendum, edocemur. Cognita enim erant iam in Dei Ecclesia, (si unam alteramve considerationem ex-

cipias,) pia exercitia, quod pertinet ad eorum materiam, seu ad veritates in ipsis considerandas; fusiusque eae tum in Sacris Scripturis Patrumque scriptis legere licebat, tum in piorum scriptorum libris tractabantur. Imo, ea fortasse causa fuit, cur S. Pater brevissimus fuerit in proponenda exercitiorum materia, illud paene unum prae se ferens, ut eorum formam traderet, finem videlicet illis praestitutum, et media ad finem consequendum idonea. Id enim Christus eiusque Mater beatissima suggerebant, ut se ipse, et alios dirigeret, cumque omnibus caelestem, quam hauserat, doctrinam communicaret.

Inter huiusmodi ergo Documenta, potius quam inter Exercitia, sensu hoc strictiori sumpta, reponendae sunt viginti illae, quas B. Pater vocavit *Adnotationes*. Sunt enim non modo praefatio quaedam totius libri, in qua operis natura obiter explicetur, (quod eiusmodi praefationum munus est); sed praeterea res tota funditus in illis copioseque adumbratur, et plurimum interioris ac spiritualis doctrinae continent, ut ex dicendis constabit.

Duo autem intendit S. Pater in Adnotationibus operi praefigendis, prout ex earum inscriptione eruitur: primum ut «aliquid afferatur intelligentiae ad exercitia spiritualia, quae sequuntur;» alterum, «ut iuvari possit tam is, qui ea traditurus est, quam qui acceptu-rus.» Quorum primum habet rationem medii, alterum vero rationem finis: quidquid enim confert ad instrumenti naturam cognoscendam, medium est ad rectum ipsius instrumenti usum. Quae quidem finis ratio quo melius agnosceretur in secundo inscriptionis membro, probavit B. Pater, ut omissa particula *Et* (hispanice *Y*),

quae habetur in autographo, haec alia *Vt*, quae finem significat, posteriori dumtaxat membro applicaretur [1].

CAPVT II

DE ADNOTATIONVM ORDINE

Ex hac finis ratione ordo potest Adnotationum explicari. Quamvis autem ordo sane mirandus eorum, quae in Exercitiorum libro tractantur, non tam in locali eorum distributione consistat, quam in efficaci simul ac suavi rerum temporumque dispositione, qua in via christianae perfectionis ducitur is, qui se exercet; attamen considerata Adnotationum vel ipsa locali ordinatione, apposite eae collocatae fuisse deprehenduntur. Cuius quidem rei triplex signum apparet:

Primvm, quia quum quaedam totius libri praefatio sint, ut diximus, recte in ipso libri vestibulo collocantur.

Secvndvm, quia in prima Adnotatione declarat S. Pater quid veniat nomine Exercitiorum Spiritualium, eorumque naturam explicat: merito igitur primus ei locus assignatur: in omni enim tractatione, illud est primo loco docendum, quod rei tractandae naturam ostendit.

Tertivm, quia unaquaeque Adnotationum ita pecu-

1 Textus hispanicus

Annotaciones para tomar alguna inteligencia en los exercicios espirituales que siguen, *y* para ayudarse, así el que los ha de dar, como el que los ha de recebir.

Vulgatus interpres

Annotationes quaedam aliquid afferentes intelligentiae ad exercitia spiritualia quae sequuntur, vt juvari possit tam is, qui ea traditurus est, quam qui accepturus.

liare aliquod documentum continet, ut ad subsequentium intelligentiam apte disponat: id quod facile ostenderem, nisi consulerem brevitati. Suum ergo singulae locum sortiuntur: in omni enim opere doctrinali, veritatum ordinata successio est et perspicuitatis et ordinis praecipuum fundamentum.

CAPVT III

ADNOTATIONES DIRIGI POTISSIMVM AD INSTRVCTOREM, EVMQVE ESSE NECESSARIVM

Illud non est hic praetermittendum, plerasque Adnotationum esse documenta solis Instructoribus a Beato Patre directa: id quod etiam de aliis multis Documentis dici potest. Instructoris enim est, illa communicare cum iis, qui exercentur, quando id expedire existimaverit. Vbi obiter significatur, quam sit necessarius aliquis dux, ut tuto quis in via spirituali incedat: idque triplicem ob causam.

Prima, quia res spirituales tum ex se difficiliores intellectu sunt, utpote humanum sensum longe superantes, mentisque imbecillitati parum perviae; tum daemonis illusionibus obnoxiae esse solent: quare si securi ab omni errore in via spirituali procedere velimus, nobis expertus aliquis dux est necessarius, ut monent Sti. Patres, testante Spiritu Sancto: «Vae soli, quia quum ceciderit, non habet sublevantem se [1].»

Secvnda, quia generalis illa difficultas, quae rebus omnibus spiritualibus est communis, maior est in libro Exercitiorum; in quo paucis multa comprehendun-

1 Eccl. iv. 10.

tur, eaque abstrusa, et pro singulorum hominum conditionibus diversa.

Tertia, quia etiamsi forte contingat, Instructorem esse minus earum rerum peritum, quam est ille, qui exercitiis vacat; si tamen hic illi se subiiciat, uberiores ex Deo illustrationes promerebitur.

Verum nuspiam in libro Exercitiorum expressis verbis asserit S. Ignatius, non posse sine Instructore fieri exercitia. Et quoniam saepe etiam tacendo docet, videtur ipso silentio voluisse significare, posse utique in nonnullis adiunctis aliquem exercitia facere cum sola directione ex ipso Exercitiorum libro petita; praesertim si agatur de hominibus, qui sint rerum spiritualium usu valde experti, vel difficillimum eis esset alia ratione exercitia facere. Iis ergo sufficiet, si methodum Exercitiorum calleant, adeantque Confessarium, quoties aliqua difficultas oriatur. Accedant praeterea cum fiducia ad Deum et beatissimam Deiparam, qui sine humano Instructore Exercitia Bto. Patri Ignatio tradiderunt.

SECTIO II

DE PRIORI EXERCITIORVM DEFINITIONE, QVAE IN PRIMA ADNOTATIONE TRADITVR

Explicat Stus. Pater initio primae Adnotationis, naturam rei, quam est in suo libro tractaturus, nempe, quid sint Exercitia Spiritualia. «Hoc nomine, inquit, Exercitiorum Spiritualium intelligitur quilibet modus examinandi conscientiam, meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter, et aliarum operationum spiritualium.» Quae quidem omnia quibuslibet spiritualibus exercitiis conveniunt, etiamsi alia sint ab his, quae Stus. Ignatius composuit; ideoque quoddam veluti genus in definitione constituunt, cuius differentia statim adiungitur, illis verbis: «prout deinceps dicetur;» quibus generica illa Spiritualium Exercitiorum ratio, ad hanc determinatam speciem contrahitur. Has enim voces «prout deinceps dicetur» refert Btus. Pater ad particularem methodum, qua sua ipse Exercitia scripturus est, et quam inferius explanabimus, agentes de altera magis perspicua definitione per triplicem Exercitiorum finem: summa enim exsistit inter triplicem hunc finem atque illam methodum habitudo.

CAPVT I

STATVITVR SIMILITVDO EXERCITII SPIRITVALIS ET CORPOREI

Sequitur Stus. Ignatius, et assimilat Spiritualia sua Exercitia deambulationi, itineri, cursui, quae sunt cor-

poreae exercitationes. Vnde apparet, causam cur spirituales operationes, quarum tractationem aggreditur, appellet Exercitia Spiritualia, esse similitudinem, quam gerunt, cum corporeis exercitationibus deambulandi, iter faciendi et currendi; nomenque ipsum esse metaphoricum et per similitudinem translatum; cuiusmodi sunt multa alia rerum spiritualium nomina, quas alia ratione vix explicare possemus.

Quod si quaeras, in quo tandem consistat eiusmodi similitudo; respondebo cum omnibus, qui Ignatiana Exercitia commentati sunt, (potissimum autem cum P. Ludovico Pontano, qui praeter ipsum sanctum auctorem, optime fortasse omnium illa intellexit,) in eo sitam esse similitudinem, quod quemadmodum homines ope illarum corporearum exercitationum deambulandi, iter faciendi, et plus minusve celeriter, iuxta cuiusque vires, currendi per viam aliquam materialem, primo quidem a noxiis humoribus purgantur, deinde vero membra corroborant, postremo tandem ad itineris terminum perveniunt: ita pariter in via spirituali christianae perfectionis incedentes primo a peccatis purgari oportet; deinde, iis virtutibus corroborari, quae ad actualem charitatem moraliter continuam disponunt; tandem, per exercitationem actualis huius moraliter continuae charitatis ad finem nostrum, qui est Deus, pervenire, cum eo nos per affectum coniungendo.

Vt autem haec similitudo, ad mentem Sti. Ignatii iam explanata, plenius intelligatur; operae pretium est, ipsam christianae perfectionis naturam funditus, breviter tamen, investigare: eius enim cognitio et gravissimi est momenti, et nobis valde utilis erit, quibus

per triplicem illum gradum ad eam est perveniendum.

Dico ergo, consistere christianam perfectionem, ut iam ex nuper dictis coniici licet, in actuali charitate moraliter continua. In *charitate,* inquam, qua nempe Deum diligimus ob eius infinitam bonitatem, ut eruitur ex Apostolo [1]: «Super omnia haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.» Suadetur idipsum ex eo quod, quum christiana perfectio sit homini tam magnum bonum, non in alia re consistere potest, quam in transformatione hominis in supremum suum bonum, quod est Deus; ac proinde in ipsius Dei amore: amoris enim est, amantem in amatum transformare.

Neque vero sufficit, ut huiusmodi charitas sit habitualis, seu habitus charitatis infusus: alioquin omnes, qui habituali gratia, adeoque charitatis habitu, ornantur, iam eo ipso perfectionem illam attigissent; quod quidem admitti nequit: plurimi enim in statu gratiae versantur, quin tamen perfectionem sint consequuti. Ergo est charitas *actualis.*

Christiana tamen perfectio non in uno aut altero charitatis actu reponenda est: secus enim plures dicendi essent perfecti, qui reapse non sunt; omnes videlicet, qui aliquem charitatis actum elicuissent. Requiritur ergo actualis charitas *continua.* Idque significare videtur illa vox Apostoli, nuper allati, *vinculum:* vinculum enim, seu ligamen, quamdam permanentiam et continuationem postulat.

Denique non opus est, ut huiusmodi charitas sit physice continua, sine ulla actuum intermissione: nam

1 Colos. III. 14.

ea continuatio propria est beatorum; viatoribus autem impossibilis: quibus tamen possibilis est christiana perfectio, ad quam nos Scripturae Sacrae hortantur. Sufficit proinde, ut sit *moraliter* dumtaxat continua. Heic autem moralis continuatio intelligenda est, iugis illa actuum repetitio, quae ex prudentum sententia in rebus humanis continuatio quaedam censetur, appellaturque. Quo sensu dicitur avarus semper, id est, *continuo* seu perpetuo, de pecuniis cogitare, quod saepissime de iis cogitat; etiamsi aliis negotiis distractus, pecuniarum non raro obliviscatur.

Quamvis autem christiana perfectio aliquando explicetur per actus aliarum virtutum, qui iubeantur a Deo, et a charitate imperentur; ipsique tum charitatis, tum aliarum virtutum, habitus acquisiti multum ad illam conferant: ipsius tamen natura in actuali, quam diximus, charitate moraliter continua, constituenda est, ex doctrina Sanctorum Patrum ac Theologorum, et praesertim Sti. Thomae in 2. 2. q. 24, in qua agit de charitate, et ibid. q. 184, quae est de perfectione. Eamdem esse Sti. Ignatii sententiam, constat ex Const. P. III. Cap. 1, ubi christianam perfectionem cum Dei praesentia (moraliter utique) continua coniungit, quatenus huiusmodi Dei praesentia perfectionem continet, eius integritatem complet, illamque tuetur ac defendit, ut inferius dicetur.

De hac autem christiana perfectione duo hic, eaque magni momenti, notanda occurrunt. Primvm est, christianos universos, iuxta rationem proprii status, eiusque peculiarium adiunctorum, ad illam assequendam esse vocatos. Quis enim christianorum dubitet, vocatum se a Deo ad eius amorem pro viribus continuum

seu frequentissimum? Quis ambigat, huiusmodi amorem a Deo saltem probari? Iam vero, in continuo hoc amore christiana perfectio, nuper explicata, consistit: et primum hoc mandatum a Christo Domino accepimus: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.» Esto, non vocentur omnes, ut reapse non vocantur, ad excellentiorem illam perfectionem, quae Religiosorum, aut quae Sacerdotum, est propria; ad christianam vero perfectionem, iuxta mensuram proprii status, eiusque particularium adiunctorum, procul dubio vocantur universi. Expressis id verbis docet Stus. Ignatius in praeludio circa considerationem statuum, ubi «Videbimus, inquit,... quomodo nos debeamus disponere, ut veniamus ad perfectionem in quocumque statu seu vita, quam Deus Dominus noster eligendam nobis dederit.» Existimat ergo, in quolibet statu debere hominem fieri perfectum, ideoque vocari omnes ad perfectionem.

Alterum notatu dignum illud est, in quavis christianae perfectionis specie, dum in terris vitam agimus, semper nobis esse crescendum; enitendumque, ut ad altiorem semper gradum ascendamus, tum per crebriorem actuum charitatis iterationem, tum per ulteriorem eorumdem perfectionem. Saepe id admonet Stus. Ignatius, praesertim vero in Const. P. VI. Cap. 1. § 1, ubi: «Omnes, ait, constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus,... praetermittamus.» Inde intelligitur illud Apostoli [1]: «Non quod... iam perfectus sim.» Perfectus qui-

1 Philipp. III. 12.

dem erat Paulus, dum haec scribebat, ut inferius (v. 5) ipse testatur, dicens: «Quicumque ergo perfecti sumus;» neque vero aliud de tanto Apostolo sentire licet: verum significat nondum se attigisse excellentiorem illum perfectionis gradum, ad quem, dum viator erat, ascendere debebat, respondentem mensurae vocationis, qua fuerat a Christo vocatus, ut ibidem (v. 12) scribit: «Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Iesu.»

CAPVT II

IN PRAEDICTA SIMILITVDINE TANGI SOLLEMNEM ILLAM DIVISIONEM VIAE SPIRITVALIS IN PVRGATIVAM, ILLVMINATIVAM ET VNITIVAM

Vt ad Exercitia Spiritualia Sti. Ignatii redeamus, et ad eorum similitudinem cum exercitatione corporea, ex qua desumptum est ipsum nomen *Exercitiorum Spiritualium;* sciendum est, Btum. Patrem, dum Exercitia scribebat, prae oculis habuisse tres illas vias, seu potius viae partes, in quas tota spiritualis via distribui solet: *purgativam,* in qua a peccatorum maculis purgamur; *illuminativam,* in qua uberiori lumine illustrati, in virtutibus illis roboramur, quibus ad charitatem moraliter continuam exercendam disponimur; *unitivam,* in qua cum Deo per affectum coniungimur. Triplex autem huiusmodi gradus, triplici illi corporeae exercitationi, quam supra diximus, apte respondet.

Sollemnis porro, et antiqua est in Dei Ecclesia haec viarum divisio, desumpta ex Sacra Scriptura atque ex Sanctorum scriptis; easque nonnulli, parum immutato nomine, vocant viam incipientium, proficientium, et

perfectorum. Merito proinde ab Innocentio XI, in Constitutione *Caelestis Pastor*, damnata est propositio 26, his verbis contenta: «Via purgativa, illuminativa et unitiva est absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica, quum non sit nisi una via, scilicet, via interna.»

Ad pleniorem autem huius divisionis intelligentiam, animadvertas oportet, non esse elaboratam toto illo rigore, quo solet in scholis fieri totius in suas partes distributio; sed latiori sensu ac morali, quatenus ex illo triplici membro illud decerpitur, quod maxime in singulis eminet. Non enim est ita accipienda, quasi qui ad unam earum viarum pertineat, nullos exerceat actus alius viae proprios: patet namque debere omnes, elicere actus viae quidem *purgativae*, quando peccata confitentur, et in quotidiano examine discutiunt conscientiam; *illuminativae* autem, quoties occurrat occasio exercendi actus diversarum virtutum ad illuminativam pertinentium; *unitivae* tandem, quia continuae Dei praesentiae gerendae studere debent. Neque tamen inde licet inferre, perfectos iam esse omnes, qui in via unitiva versantur: nam etsi in ea, si quidem completa fuerit, perfectio possidetur; plurimi tamen nonnisi incomplete in illa versantur; ii videlicet omnes, quorum affectiva cum Deo conjunctio nondum attingit illam actuum charitatis continuationem, quam perfectio requirit.

Verum gravissima haec divisio duplicem secum affert, eamque magnam, utilitatem. Prior est, quod omnibus patefacit ad quasnam potissimum virtutes inhiare debeant, ut veram perfectionem, seu affectivam coniunctionem cum Deo, reapse adipiscantur. Ipsum

praeterea mediorum ordinem ostendit, ex cuius cognitione ei, qui in se reflectit, innotescit quonam in gradu versetur; ut solidum nitatur iacere fundamentum in primo gradu, se humiliando; postea in secundo, excitando fiduciam, et ita porro.

Altera utilitas in eo stat, quod agnito gradu sive *incipientis*, sive *proficientis*, sive aliquo modo *perfecti*, in quo quis reperitur; ad quotidianam meditationem cum fructu peragendam seligere poterit materiam illam, quae suo gradui magis erit idonea. Etiamsi enim in qualibet materia excitari possint affectus singulis his viis respondentes; aliae tamen aliis affectibus ciendis sunt aptiores. Qua in re consulendus Confessarius vel Director. Aliqua etiam mutatio expedire solet; ne forte alicuius viae obliviscamur, vel in ea intepescamus.

Ob similitudinem ergo, quam supra exposuimus, triplicis huius viae ac doctrinae in libro Exercitiorum traditae, et ob utilitates, quas nuper recensuimus, Stus. Ignatius hanc divisionem non modo prae oculis habuit, ut constat ex decima Additione, ubi verba ipsa *viam illuminativam* et *purgativam* usurpat; verum etiam eo direxit totam suorum Exercitiorum methodum plane mirandam et caelestem, ut triplicem illam viam tutiorem facilioremque redderet. Id inferius ostendemus, simulque docebimus brevem utilissimamque praxim Ignatianae methodi cum illa triplici via coniungendae.

Illud nunc meminerimus oportet, quod Stus. Ignatius persuassum habebat: pro quacumque tandem via, pro singulis earum passibus, pro quovis denique in via spirituali motu, Illum esse necessariam atque unicam viam, qui de se ipse dicit [1]: «Ego sum via, veri-

1 Ioan. xiv. 6.

tas, et vita:» via quidem in exemplo, veritas autem in doctrina, vita demum in gratia, quam per viam incedentibus elargitur. Neque omittendum, perpetuam Christo Domino sociam additam fuisse beatissimam Virginem Mariam.

CAPVT III

IN PRAEDICTA SIMILITVDINE DIVERSAM SIGNIFICARI RATIONEM, QVA HOMO DIVINAE GRATIAE COOPERATVR, VARIAMQVE EIVSDEM GRATIAE MENSVRAM

Quaeri posset hic, cur Stus. Ignatius, in verbis adeo parcus, Exercitia Spiritualia comparet illi triplici corporae exercitationi deambulandi, iter faciendi, et currendi, quum unum ex istis, *iter facere* verbi causa, sufficere videatur. Respondeo, id fecisse Beatum Patrem, ut significaret eorum, qui per spiritualem viam incedunt, varietatem. Cuius quidem varietatis, causa duplex assignari potest. Prior est, hominum longe diversa gratiae divinae cooperatio: ut constat ex eo, quod alii supremam beatitatem ex defectu debitae cooperationis minime consequuntur; alii consequuntur quidem, at vero ea majori vel minori gradu perfruuntur, iuxta maiorem vel minorem copiam meritorum. Altera est, varia mensura, qua gratiam Deus viresque supernaturales hominibus dispertitur, juxta diversos fines particulares, ad quos obtinendos eligit homines: hac enim oeconomia et supremum suum in creaturas dominium ostendit, et Ecclesiae pulchritudini consulit, quae in Ps. XLIX, 10 proponitur «Circumdata varietate.»

Deus enim, absolutus Dominus, Provisorque sapientissimus, praeter substantiale praemium universis ho-

minibus, qui divinis legibus obtemperaverint, propositum, iuxta moralem quamdam necessitatem, consequentem liberam eius voluntatem creandi homines; ordines quosdam praestituit atque decrevit gratiarum, aliorumque tum spiritualium donorum, tum etiam naturalium, supernaturalibus subordinatorum, quae pro sua liberalitate voluit hominibus elargiri. Idipsum cum Angelis effecerat. Vnde singulis hominibus specialis ordo gratiarum obtigit, aliis quidem uberior, aliis vero minus copiosus, ab humana libertate omnino independens: nemo enim liber est ad obtinendam tantam gratiam, quantam accepit, exempli causa, Deipara Virgo. Ita docemur in parabola de talentis [1]: «Et uni, ait Christus Dominus, dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum: unicuique secundum propriam virtutem:» quam scilicet virtutem tribuerat ipse Deus, iuxta particularem finem, ad quem singulos elegerat. Idem saepius docet Sacra Scriptura.

Idemque habet Stus. Ignatius in primo puncto contemplationis ad amorem spiritualem in nobis excitandum, illis verbis: «Quantum idem Dominus desideret dare seipsum mihi, in quantum potest, iuxta divinam suam ordinationem;» quasi dicat: velle Deum, se homini dare, ut in aeternum supernaturali modo illum possideat, iuxta constitutum illum antecedentemque gratiarum ordinem, quas singulis hominibus decreverat elargiri.

Neque vero est cur inde angatur quisquam. Constat enim ex fide, Deum, etiam post Adami peccatum, intuitu meritorum Christi Redemptoris, quantum est ex

1 Matth. xxv. 15.

se, tribuere singulis hominibus eas omnes gratias, quibus si velit homo cooperari, beatitudinem adipisci possit, sitam in ipsius Dei fruitione cum sempiterna ineffabilique felicitate: quae quidem beatitudo longe est excellentior ea, quae hominis naturae competebat. Christus enim Dominus, teste Apostolo [1], «Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.» Item, Deus «Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire» (ibid. 4), ad cognitionem videlicet et claram intuitionem infinitae Veritatis et Essentiae. Vnde beatitudo illa, qua omnes et singuli homines intueri Deum possumus, est infinita.

Praeterea Deus est infinite bonus, non solum in seipso, quatenus est infinite perfectus; neque solum erga omnes creaturas ea infinitate bonitatis, quae vocatur *respondentiae,* quatenus magnitudo divinae erga creaturas bonitatis, respondet infinitae Dei perfectioni; verum etiam est omnibus ac singulis infinite bonus bonitate illa, quam vocamus, *beneficentiae,* quatenus ipsa obtinendae beatitatis facultas, quam homini tribuit, est quoddam infinitum beneficium. Illud igitur erit perutile nobis, Deo debitum ac periucundum, ut propria sorte contenti, divinorumque beneficiorum, per suavissimum Redemptorem Iesum acceptorum, non immemores, gratiis, quas Deus nobis elargitur, totis viribus cooperari nitamur: praesertim vero si liberaliorem eum in nos, quam in alios nobis digniores, experimur. Illud autem omnibus cavendum, ne series gratiarum a nobis interrumpatur: aut saltem per debitam poenitentiam nostras infidelitates reparemus.

1 1 Tim. II. 16.

Haec omnia significat Stus. Ignatius verbis illis *deambulare, iter facere, et currere*. Quibus praeterea edocemur, non esse animo despondendum, neque nimia nos tristitia deiici oportere, (ut solent aliqui, specie quadam invidiae periculosaeque superbiae decepti), si quando alios cernamus in via perfectionis currere, nos vero iter dumtaxat facere, aut obambulantis more lente incedere: imo, quatenus id ex nostra negligentia, ut fieri solet, contingit, doleamus oportet nostram oscitantiam, animisque stimulos admoveamus; laetemur autem in tanto fratrum nostrorum bono; illamque caelestis Patris dispensationem cum amore ac fiducia, bonorum filiorum propria, revereamur, memores illius verbi: «Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei [1];» et «Sperantes in Domino misericordia circumdabit [2].»

Monentur pariter animarum Directores, ut perspectam hanc doctrinam habentes, eos, quos dirigunt, vi ne compellant, excrucientque. Quamvis enim studendum eis sit, ut a defectibus purgent animos subditorum, eosque ad currendam viam excitent, quacumque possint ope; prudentia tamen opus est, ut illorum vires dimetiri sciant, et mensurae gratiarum, a Domino communicatarum, se attemperare: ne forte contingat, ut ille, qui iter faciendo, vel etiam deambulando, aliquid progreditur; si currere compellatur, nimium defatigatus viam ipsam fastidiat, ac derelinquat. Considerandus igitur est proprius cuiusque status, dignoscenda singulorum adiuncta particularia: iis enim omnibus

1 Rom. IX. 16.
2 Ps. XCI. 10.

solet se Deus in dispertiendis gratiis accommodare. Saecularis homo, exempli causa, spirituali cursui minus est aptus, quam religiosus; phlegmatico praeditus temperamento minus valet in aliquibus virtutibus adquirendis, quam cholericus; et sic de aliis.

Imo, praeter ipsam, ut ita loquar, gratiae quantitatem, eiusdem etiam qualitas attendenda est: aliis enim Deus speciales gratias ad alias virtutes porrigit. Directoris est viam, qua quemque Deo ducere placeat, perscrutari.

Antequam vero hactenus explanatae doctrinae finem imponamus, non abs re erit, aliquos afferre Sacrae Scripturae textus, in quibus viae materiali spiritualis via comparatur. Nondum profecto Sacra Biblia legerat Ignatius, dum haec scribebat; vocabula vero suggerebant Christus, eiusque Mater beatissima, quem utrumque habuit magistrum in opere condendo. Regius ergo Psaltes, in Ps. CXVIII, ut alia multa omittam, saepe fatetur sese exercere tum in mandatis, tum in iustificationibus, tum in mirabilibus Dei: «In mandatis tuis exercebor.» (v. 15). «Servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.» (v. 23.) «Et exercebor in miralibus tuis.» (v. 27.) Et Paulus ad Timoth. (1 ep. IV, 8): «Ineptas autem et aniles fabulas devita: exerce autem teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.» Vbi aperte comparat spiritualem exercitationem cum corporea, illiusque prae hac extollit excellentiam. Monet praeterea Timotheum, ut se ad pietatem exerceat; qua in exercitatione includitur omnis operatio praxisque omnis spiritualis.

CAPVT IV

QVID SIT MEDITATIO, QVID CONTEMPLATIO, ET QVOTVPLEX EARVM SPECIES

Quatuor spiritualium operationum meminit Stus. Pater in hac Adnotatione prima: examinis conscientiae, meditationis, contemplationis, et orationis vocalis. De examine conscientiae, necnon de vocali oratione, opportuniori loco inferius agemus. Veras nunc meditationis contemplationisque notiones explanabo; quarum quidem accurata cognitio perutilis est, et ad intelligendam Sti. Ignatii doctrinam valde idonea.

Iuxta communem igitur Sanctorum Patrum doctrinam, praesertim vero Basilii, Augustini et Bernardi, mentalis oratio nihil aliud est, quam quaedam mentis seu animi ad Deum elevatio, excitans affectus ad ipsum Deum, vel ad alia propter Deum.

Affectus quidem, seu voluntatis motus, in oratione ciere, omnino oportet; quia in his consistit totum orationis meritum, tota hominis perfectio. Ad excitandos autem huiusmodi motus voluntatis, requiritur aliqua cognitio, seu actus intellectus, qui voluntatis motum praecedat, eamque illustret: fieri enim nequit, ut feratur voluntas in obiectum prorsus ignotum, et actuali intellectus lumine non illustratum; nam, quod attinet ad actus, quibus voluntas fertur in obiecta, aut ea aversatur, obiecta ipsa, nisi ab intellectu proponantur, sunt tamquam si non essent. Imo, meditatio et contemplatio eatenus pertinent ad mentalem orationem, quatenus ipsa mentalis oratio actus postulat intellectus.

Meditatio et contemplatio pro una eademque actuum

specie nonnumquam sumuntur. Si vero proprie loqui velimus, ut tamquam de duplici exercitationum specie loquitur hic Stus. Ignatius, inter se reapse distinguuntur. Vt enim docent communiter Sancti, speciatim vero S. Thomas (2. 2. q. 180. a. 3.) *meditatio* fit variis minusque quietis discursibus intellectus, voluntati motiva excitandorum affectuum proponentis; *contemplatio* vero est simplex, eaque fixa, cognitio, quae pariter affectuum motiva proponit voluntati, (secus enim inutilis esset); imo vero efficacius, quam meditatio, proponit; tum quia plura in simplicitate coniungit, tum quia immota et fixa permanet; modus autem ipse proponendi caret et actuum varietate, et inquietudine. Exemplo haec declarari solent. In meditatione enim se habet mens, quasi homo, qui magnificum altare templumve considerat, oculos nunc huc, nunc illuc convertendo; in contemplatione vero, quasi ille, qui postquam rem consideraverit, penitusque totam hauserit, eamdem paulo post fixis oculis cum quodam voluptatis sensu iterum contemplatur.

Iuxta duplicem ergo mentalium actuum speciem, quibus vel meditamur, vel contemplamur, dividitur ipsa mentalis oratio in orationem meditationis, sive *communem* et in orationem contemplationis, seu *specialem*.

Vtraque ulterius in species inferiores dividitur. Meditatio quidem in ponderativam, simplicem, et affectivam, quae sunt nomina a Doctoribus asceticis vulgo usurpata; contemplatio vero in adquisitam et infusam. Priorem harum divisionum, quia captu facilis est, paucis absolvemus.

Ponderativa igitur meditatio est, in qua mens tota

paene est in perscrutanda ac ponderanda per ratiocinationem ac discursum veritate; ac proinde pauciores in ea cieri solent affectus voluntatis. Hanc fieri supponit Stus. Ignatius in meditationibus, antequam earumdem repetitiones, applicationesque sensuum instituantur.

Simplex vero meditatio est, quae breviori ponderatione utitur, quam ponderativa: eamque intelligit Stus. Pater in primo orandi modo, ex quatuor, quos docet post quartam hebdomadam Exercitiorum.

Affectiva denique meditatio est, in qua licet veritas tam penitus inspiciatur, graviterque ponderetur, quam fit in ponderativa; quoniam vero minus id iam exigit laboris, animus in ciendis affectibus potissimum occupatur. Hanc postulat B. Pater, in repetitionibus ac sensuum applicationibus. Haec omnia melius ex dicendis intelligentur.

In explicanda posteriori orationis divisione in contemplationem adquisitam et infusam, paulo diutius inmorabimur, eo fine, ut gravissima quaedam Sti. Ignatii doctrina clarius illustretur.

Contemplatio igitur adquisita est ea, quae licet sit communi meditationis oratione excellentior, eam tamen ordinariis divinae gratiae auxiliis adiuti, nostra quodammodo industria possumus adipisci. Quare libera nobis est, quatenus eam adquirere valemus, adhibitis quibusdam dispositionibus, quales sunt, primo, perfecta passionum mortificatio, quae magnam affert interiorem tranquillitatem; secundo, saepius iterata eorumdem mysteriorum meditatio, qua eorum species alte in animo defigantur.

Infusa vero contemplatio est, quae nulla nostra industria adquiri potest; sed a solo Deo infunditur, nul-

la habita ratione earum dispositionum, quas homo, ordinariis gratiae auxiliis adiutus, afferre potest.

Paucis omnino concedi solet eiusmodi contemplatio: quia divina sapientia et suavitas, in donorum distributione, ea quae sunt ordinaria, communiter attendit. Concedi vero solet hominibus potissimum sanctitate praestantibus; eamque plerumque comitantur varii quidam, mirabiles, altissimique modi annihilationum, silentii, extasum, raptuum, visionum, transformationum, et aliorum, in quibus explicandis laborant Theologi Mystici, at vix possunt; quia haec humanum superant captum, et ab illo dumtaxat, qui ea patitur, intelliguntur. Ex hac praeterea contemplatione vel in ipsum corpus mira effecta quandoque redundant, sive ex ipsa vi contemplationis profluant, sive exterioribus his signis illam Deo placeat patefacere: eiusmodi sunt ardores quidam, vultus illuminationes, et his similia.

CAPVT V

QVID DE CONTEMPLATIONE DOCEAT SANCTVS IGNATIVS IN LIBRO EXERCITIORVM

Praedictos omnes contemplationis modos et effectus noverat jam Btus. Pater tum quum Manresae librum Exercitiorum scribebat; et quidem noverat non speculando tantum, sed in se etiam experiendo. Donum enim infusae contemplationis, quod ei Dominus per totam postea vitam conservavit, acceperat altissimo mirabilissimoque gradu, quo aliis Sanctis legitur communicatum. Ita inferri licet ex singularissimis extasibus, ex raptu atque illustratione, qua iam tum temporis dignatus fuerat: ibi tanta doctrinae copia a Christo

eiusque Matre beatissima fuerat instructus, ut librum Exercitiorum, quem scribere iussus est, perficere valeret.

Illud praeterea ex frequenti eorum magisterio didicerat, infusam contemplationem minime, ut diximus, esse in hominis potestate atque arbitrio; superbi imprudentisque esse eam desiderare, quum sit donum Dei extraordinarium; nequaquam denique contineri eam in *pane* illo *quotidiano*, quem iubemur in oratione dominica postulare a Patre, cactera divinae Providentiae committendo, quae quidem, si quando necessaria sint, ipse procul dubio subministrabit. Quamvis enim huiusmodi contemplatio nonnullis concedatur; quia tamen periculis illusionibusque est obnoxia, placent Deo prudentes illi servi, qui eam cum timore et cautela accipiunt, omnia Confessario magna animi demissione aperientes: praesertim quum non desint qui, vel phantasia rapti, vel falsa quadam suavitate allecti, tantum donum appetentes, in illusiones fraudesque diabolicas inciderint. Humanae enim naturae inimicus, aut extases, aliaque id generis, in illis miseris simulabat, ut eos in superbiam atque in caetera vitia pertraheret: aut saltem impediebat quominus in viam perfectionis progrederentur: quare postquam annos plures mentali orationi vacaverant, reperti sunt tam destituti omni vitiorum mortificatione, et tam longe a perfectione abesse, quantum aberant ante inceptam viam perfectionis. In quo imprudentes etiam nonnulli Directores erraverunt ex huius doctrinae ignoratione, illud non animadvertentes, non posse humano magisterio infusam contemplationem edoceri.

Tota haec doctrina eruitur, ut diximus, ex libro

Exercitiorum Sti. Ignatii, qui eam silentio, potius quam verbis, tradit. Quum enim tot documenta proferat, quum tam excellenti infusa contemplatione a Deo donatus fuerit; nuspiam tamen de ea agit, imo ne nominat quidem: multoque minus loquitur de silentio, de extasibus, de raptibus, et huiusmodi aliis; ne videlicet eorum in aliis excitet desiderium. A quibus nominibus etiam nos abstineremus, nisi opus esset ea proferre ad explicandum quidnam significet tantum in hac re Beati Patris silentium.

Neque tamen Exercitiorum liber caret doctrina illa, quae ad tutam animae directionem requiritur, si cui forte infusae contemplationis donum reapse Deus elargitus fuerit. Nam praeter regulas, quas tradit ad motus animae discernendos, et ad pleniorem spirituum discretionem, quae quidem mirabiles sunt; tum anima dono illo dignata, tum ipsius Directores ab omni errore immunes erunt, si prae oculis habeant Bti. Patris documenta de auferendis inordinatis affectionibus iuxta quadruplex earum genus, de methodo christianae vitae instituendae, ac de gerenda continua Dei praesentia: quae quidem tria complectuntur triplicem illum finem, ad quem obtinendum Exercitia diriguntur, ut in sequenti sectione fusius explicabimus.

Huiusmodi enim fines valde sunt generales et efficacissimi pro quovis personarum genere, et cum infusa contemplatione optime conciliantur, ut patet in ipso Sto. Ignatio: imo iis, qui hac contemplatione praediti sint, illorum cognitio ad vitandam omnem illusionem magis est necessaria. Utile nihilominus Directoribus erit, doctum aliquem et pium auctorem evolvere, qui hanc materiam pertractet: quorum unum, summa au-

ctoritate virum, P. Ludovicum Pontanum, hic commendare sufficiat. Verum, ut aperte dicam quod sentio, neque in eo, neque in aliis vix quidquam reperies, nisi fortasse vocabula, quod in Exercitiorum libro non contineatur.

Constat igitur ex dictis, quoties Btus. Ignatius tum in prima Adnotatione, tum in reliquis libri partibus voces illas *contemplari* et *contemplatio* usurpat, non esse de infusa contemplatione sermonem, sed de adquisita; haec enim iam absolute solet *contemplatio* nuncupari. Neque erat cur hanc sileret: nam primo, eam concupiscere, sibique debita cum humilitate comparare, licet: quamvis enim sit et ipsa donum Dei, universis plane non concessum; non tamen est ita extraordinarium donum, ut ordinarias vires gratiae transcendat. Secundo, est utilissima ad affectuum perfectionem in oratione obtinendam. Quare ipse Btus. Pater eos, qui exercentur, ad illam disponit atque inducit, et quatenus ea doceri potest, edocet. Eo enim tendunt repetitiones applicationesque sensuum tantopere in libro Exercitiorum commendatae: nam praeter alias, quas afferunt utilitates, quum mentem ad iam consideratas veritates iterum iterumque revocent, paulatim earum cognitiones uniunt ac defigunt; in qua unione defixarum veritatum, adquisita contemplatio consistit. Idque verius est, quando veritates, quas meditamur, pertinent ad mysteria Christi; in his enim anima plus spiritualis saporis degustat, si vivida cum fide ad ipsas meditandas accedat; sunt praeterea ad illam contemplationem adquirendam magis ex se consentaneae. Quod ut significet Stus. Ignatius, huiusmodi exercitia non inscripsit *Meditatio,* ut inscripserat exercitia de triplici peccato,

de poenis damnatorum, de duobus vexillis, de tribus hominum classibus; sed *Contemplatio*.

Sciebat enim adquisitam contemplationem ab humana industria pendere: non certe quasi adquiri possit ipsa contemplatio; sed quia speciales aliquae ad eam dispositiones sunt sub humani arbitrii potestate. Aliunde vero patet, nemini certo constare posse, instructum se esse omnibus illis dispositionibus, quae ad contemplationem adquirendam requiruntur, quum earum una sit absentia illorum omnium, quae animum in varias distrahunt cogitationes; ea vero plurima sunt. Idcirco repetitiones applicationesque sensuum iis in locis, divino plane artificio, instituendas praescripsit; ut sin minus contemplationis dignitatem attingant, naturam saltem induant meditationis; ac proinde ille, qui se exercet, fructum capit, eumque certum ac securum. Ad idem pertinet illud, quod saepe monet, ut tantisper *immorentur*, si forte cognitiones uniant ac defigant: item, ut in se *reflectant;* huiusmodi enim reflexio, si nondum ad contemplationem assurgat, erit ad minimum meditatio; eaque, communiter loquendo, meditatio, quam supra vocavimus *affectivam*, quae quidem utilior est quam ponderativa, et ad contemplationem proxime accedit: et sperandum est, fore ut post breve saltem tempus interdum ipsam contemplationem attingat.

Verum quidquid sit, certe non est cur nimia quis sollicitudine angatur. Primo quidem, quia licet contemplatio sit ex suo genere meditatione perfectior; fortasse tamen aliquibus est utilior meditatio: tum propter maius laboris meritum, tum propter fiduciam, qua Deo se committunt, qui utique et omnes amat, et novit quid

cuique magis expediat. Deinde vero, quia contemplatio non est ad consequendam perfectionem necessaria: consistit enim perfectio, ut supra docuimus, in charitate actuali moraliter continua; quam scilicet non pauci ope solius meditationis, imo nonnulli sola illa, quam diximus, simplici oratione, sunt adepti.

Hactenus dicta nos admonent, ut tum in repetitionibus, tum in aliis mentaliter orandi modis, in quibus exerceri velimus, illud prae oculis habeamus, ordiendum nobis esse a communi oratione meditationis; quam quidem, utpote reliquarum omnium fundamentum, et universis magis necessariam, Stus. Ignatius accuratissime docet: si vero postea ad altiora evehamur, amplectamur utique contemplationem, in eaque quiescamus. Ita ipse Btus. Pater, tam excellenti contemplatione tum adquisita, tum infusa donatus, agebat.

Vniversa demum haec doctrina, quae est ex praecipuis, a Sto. Ignatio traditis, confirmatur ex damnata ab Innocentio XII in Brevi «Cum alias» propositione 16: «Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectae, ut fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, eiusque actus methodicos.»

SECTIO III

DE ALTERA EXERCITIORVM DEFINITIONE, QVAE IN EADEM PRIMA ADNOTATIONE TRADITVR, AC DE PRIMO EORVM FINE

Altera, eaque magis perspicua, definitione explicat Stus. Ignatius quid intelligat nomine *Spiritualium Exercitiorum*. «Quilibet, inquit, modus praeparandi ac disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas (i. e. male ordinatas), et postquam quis eas sustulerit, ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam in vitae suae dispositione, ad salutem animae, vocantur exercitia spiritualia.»

«Quilibet, inquit, modus,» id est, Exercitia prius lecta aut audita «praeparant;» postea vero, intime, ut par est, recogitata «disponunt,» id est, magis proxime praeparant. Praeparant, inquam, disponuntque animam ad illa tria, quae subsequuntur: primo, «ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas;» ubi significat quadruplex affectionum inordinatarum genus, quatuor Exercitiorum hebdomadis respondentium, et per ipsa Exercitia tollendarum; secundo, «in vitae suae dispositione,» ubi refertur ad rationem vitae christiano more instituendae; tertio, «ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam,» in continua nimirum Dei praesentia.

Addit autem «ad salutem animae,» ut doceat tria haec efficacissima esse ad animae salutem consequen-

dam, quae consistit in eius salvatione ac perfectione, eodem modo quo salus corporea consistit in corporis vita ac robore.

CAPVT I

DE TRIPLICI FINE EXERCITIORVM

Tria haec, quae diximus, apte quidem inter se cohaerent; imo, ex parte etiam commiscentur. Finem praeterea constituunt omnium singulorumque Ignatianorum Exercitiorum, quum nihil in eis reperiatur, quod ad praedictum triplicem finem obtinendum non ordinetur. Verumtamen tres huiusmodi fines non sunt aeque praecipui: divina enim praesentia, utpote quae integram in se continet christianam perfectionem, eamque tuetur, ut supra innuimus, ipsa dicenda est finis Exercitiorum principalis: reliqua vero duo sunt fines minus principales, habentque rationem medii respectu tertii, quatenus ad eum obtinendum disponunt.

Quatuor enim affectuum genera non sunt nisi dispositio negativa, seu quae impedimenta divinam praesentiam prohibentia removet: idque innuunt emphatica illa verba, quibus nos praevenit Btus. Pater: «et postquam quis eas sustulerit;» non certe ita intelligenda, quasi exercitium divinae praesentiae gerendae tamdiu differendum sit, donec omnes male ordinatas affectiones a nobis sustulerimus; id enim serius eveniet: imo ob specialem huius exercitii necessitatem, tanto operi manus quamprimum admovendae sunt. Methodus autem christianae vitae est dispositio, quae vocatur positiva, seu quae continuam illam Dei praesentiam excitat, conservat, et auget: idque indicat ipse

loquendi modus: nam illud «in vitae suae dispositione» ita praecedenti orationi subiungitur, ut eam et comitetur, et fulciat [1]. Haec enim verba «in vitae suae dispositione» ordine tantum grammatico, non autem logico, post illa alia: «ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam» collocantur; praecedere enim deberent, utpote quae dispositionem significant ad divinam voluntatem quaerendam atque inveniendam.

Ad praxim igitur quod attinet, primum obtinent locum quatuor affectuum genera; secundum, methodus christianae vitae; postremum, continua Dei praesentia. Nam iuxta doctrinam philosophorum, de moribus agentium, quam saepius affert Stus. Thomas, quamvis in ordine intentionis prior sit finis, quam media; in ordine tamen executionis media sunt priora, quam finis: mediorum autem ea, quae sunt negativa dispositio, praecedunt alia, quae sunt dispositio positiva.

Hanc ergo tractationem ita distribuemus, ut primo agamus de quadruplici affectuum genere; deinde, de methodo cristianae vitae; postremo, de continua Dei praesentia.

1 In textu hispanico ita habetur: «Y esto indica aquel modo de hablar de acompañamiento y restribo: En la disposicion de su vida:» nempe, non successive, sed simul, quaerenda est divina voluntas, et vitae christianae methodus servanda; imo, ipsa divinae voluntatis inquisitio oportet, ut methodo christianae vitae innitatur.

CAPVT II

DE QVADRVPLICI AFFECTVVM GENERE SEV DE PRIMO IGNATIANORVM EXERCITIORVM FINE

Quum quadruplex affectuum genus, quod ad executionem pertinet, sit primus immediatusque finis a Sancto Ignatio intentus; methodus autem cuiuscumque operis ex iis desumatur, quae sunt ad executionem viciniora: sequitur methodum Exercitiorum ex quadruplici affectuum genere esse desumendam. Vt igitur quadruplex hoc affectuum genus plene explicetur, exponenda simul erit methodus Exercitiorum, seu ordo, qui inter eorum partes splendet, mirabilis ac paene divinus; verbo, dignus Christo eiusque Matre beatissima, qui illum Bto. Ignatio suggesserunt. Postulat ergo ipse ordo seu methodus, ut eum, pro virium imbecillitate, accuratissime exponamus. Ita vero exponere studebimus, ut lectores, quin ad aliena distrahantur, totam methodum uno intuitu haurire valeant; sic enim perfectius menti imprimetur, maiorique eis erit gustui atque utilitati, ut fore speramus. Quoniam vero multa, eaque neque levia, neque captu facilia tractanda sunt; solito nos oportebit esse longiores.

Et primo quidem, tria prae oculis habenda sunt, dicendorum fundamenta, quae separatis capitibus persequemur. Quorum primum est, totam difficultatem quaerendae inveniendaeque divinae voluntatis, seu continuae Dei presentiae gerendae, (qui est Ignatianorum, ut diximus, Exercitiorum finis principalis), sitam esse in auferendis a nobis affectionibus male ordinatis; iis nimirum, quarum impetu in ea rapimur, quae divi-

nae voluntati, supremae omnis ordinis regulae ac normae, adversantur.

Inordinatae porro huiusmodi affectiones reducuntur a Bto. Joanne ad inordinatum mundanorum bonorum amorem; divitiarum nempe, honorum, voluptatum: «Omne, ait, quod est in mundo [1] concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae; quae non est ex Patre, sed ex mundo est [2].» Qui locus fusius [3] alibi explanabitur. Huiusmodi vero inordinatas affectiones sustulisse quis dicitur, vel primo, quando ipsas reapse sustulerit, ita ut earum impetus iam non experiatur: id autem raro evenit; quantumvis enim per contrarios habitus earum vires imminuantur, iterum illae nos adoriuntur; vel, secundo, quando per contrarios actus habitusque, quos diximus, ita illarum incursus compescimus et profligamus, ut aut careamus iis, quae arbitrio nostro subjacent, et continent deordinationem; aut earum, quae libero arbitrio non subiacent, deordinationemque dumtaxat continent quatenus ad deordinatum illicitumque actum inclinant, vires perfringamus. Vtrumque id possumus certe consequi divinae gratiae auxiliis adiuti.

Iam vero totam difficultatem in tollendis huiusmodi deordinatis affectionibus sitam esse, ita ostenditur. Creaturae enim universae inditam habent magnam et praecipuam inclinationem, et quasi pondus, ad Creatorem, id est, ad eius voluntatem, iuxta propriam cuiusque naturam, exsequendam; quippe quem ut Ens

1 Mundum intellige mundi homines, quatenus ea concupiscunt, quae divinae voluntati adversantur.
2 I. Ep. II. 16.
3 II. P. Sect. VI. Cap. 4.

infinite perfectum, suique Creatorem respiciunt. Qua quidem inclinatione si carerent creaturae, non essent, prout reapse sunt, perfectae: nam «Dei perfecta sunt opera [1],» et «Omnia in... pondere disposuisti [2].»

Humanus vero animus, quum sit speciali ratione perfectus, specialem etiam habet huiusmodi inclinationem. Remotis igitur impedimentis hanc in Deum contentionem prohibentibus, quae quidem alia non sunt, quam male ordinatae affectiones; statim in illum feretur, eo prorsus modo, quo lapis, remotis impedimentis, quibus in aere retinebatur, toto impetu in terram illico fertur. Nihil damni daemon, nihil mundus, nihil caro afferre poterunt; neque enim id nisi per inordinatas affectiones possunt. E contrario autem, nisi eas sustulerimus, numquam animus ad Deum, sed ad illarum affectionum obiecta, quae quidem a Deo avertunt, semper rapietur.

Ne vero in re tam gravi nomina confusionem pariant, sciendum est, inordinatas has affectiones vocari etiam *concupiscentias, appetitus, passiones, amorem proprium*, subintellecto apposito hoc *inordinatum*, quod expressit Stus. Ignatius. Non enim omnes appetitus omnisque proprius amor est auferendus: quinimo Deus ipse, infinite bonus in se, ac proinde quoad nos valde etiam bonus, vult et praecipit, ut nostrum bonum appetamus, ut nosmet ipsi amemus, amore utique ordinato ac suae voluntati consono: qui videlicet amor, quum unus sit amor verus, quo nos amare possumus, patet non esse auferendum.

1 Deut. xxxii. 4.
2 Sap. xi. 21.

Neque iis, quae de naturali animi ad Deum inclinatione diximus, opponitur ipsius animi inclinatio ad delectabilia, quam vocamus concupiscentiam; etiamsi haec concupiscentia, vel eo quod delectabile non semper sit honestum, saepe excitet in anima inordinatas affectiones. nunc indeliberatas, nunc deliberatas, puta, ad sibi vane complacendum; vel ex unione animae cum corpore, ad sensibiles voluptates, lege vetitas, inclinet. Non opponitur, inquam; in consiliis enim, certe mirandis, divinae Sapientiae erga suas creaturas, praesertim ratione utentes, qualis est homo, illam inclinationem ideo habet animus, ut eam devincat: causa autem cur huiusmodi inclinatio delectabilia appetat, inordinatasque affectiones in animo excitet, est quia ipsa anima iis indiget, tamquam mediis obtinendae beatitudinis, quam naturaliter appetit: non enim ea est beatitudo, quae gratis homini tribuatur; sed promerenda est pugnando contra inordinatas affectiones, eis resistendo, easque devincendo. Vnde patet, non oportere, ut iis animus careat; imo, ad hunc finem ita obtinendum, illas esse medium necessarium.

Idque saepius docemur in Sacris Bibliis. Sollemne illud Pauli: «Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur, ut non quae vultis, illa faciatis [1].» Quem quidem locum ita Sancti Patres interpretantur: Caro, seu homo, iuxta suam ad delectabilia inclinationem, affectiones experitur contra spiritum, seu contra semetipsum iuxta inclinationem, quam habet, ad perfectionem: et e contrario, spiritus easdem contra carnem

1 Gal. v. 17.

experitur; ne videlicet, quae vultis, ea faciatis; sed vobismet ipsi vim inferentes, vestram beatitudinem mereamini. Vnde intelligitur, quam necessaria, quamque naturae humanae consentanea, sit virtus illa, quae vocatur in Sacra Scriptura mortificatio, sui ipsius abnegatio, odium sanctum sui; et in eo stat, quod quisque inordinatis affectionibus resistat, easque vincat.

CAPVT III

DE DVPLICI HVMANARVM AFFECTIONVM DEORDINATIONE

Alterum, quod est prae oculis habendum, ut praecedenti capite dicebamus, est, duplicem exstare affectionum deordinationem. *Prior* continet peccatum, sive letale, sive veniale; quia eius actus divinae legi vel praecepto adversatur, nempe, divinae voluntati, interposita divina auctoritate. *Altera* continet defectum dumtaxat culpabilem, quia eius actus divino tantum consilio adversatur, seu divinae voluntati, non quidem interposita divina auctoritate, neque tamen omnino commissa re optioni nostrae, ut committit Deus, quando aliquid vult voluntate illa, quam vocant *meae approbationis*. Exemplo res illustrabitur. Sacrum enim die non festo audire, relinquitur prorsus eius optioni, qui neque ex lege, neque ex regula aliave quacumque directione, quae sub culpabili defectu obliget, tenetur audire: at vero si quamvis lege non adigatur, iubeatur tamen ex regula aut alia directione, quae sub culpabili defectu obliget, iam sacri auditio non relinquitur penitus eius optioni, sed ex consilio iniungitur.

Posset utique Ignatianorum Exercitiorum methodus, partiumque ordo, explicari, si pro hac posteriori deordi-

natarum affectionum ratione, poneremus leviora venialia: per allatam autem divisionem commodius explicatur. Hanc igitur sequemur: et in ea stabilienda aliquandiu immorabimur, quia eius cognitio, etiam independenter ab Exercitiis, gravis est momenti; ipsaque valde solida est, ut ex triplici hoc argumento patebit.

Primo enim, divinam duplicem voluntatem, quam diximus, distinguunt Sacrae Litterae, iisdem *legis consilii*que nominibus, ut Prov. III. 21: «Custodi legem et consilium.» Neque commodior causa distinctionis afferri potest, quam si dicatur *lex* includere divinae auctoritatis interpositionem, ut omnes Theologi docent; *consilium* autem, simplicem voluntatem, nulla auctoritate interposita. Item: corripiuntur qui divinis consiliis non obtemperant, et nonnumquam vocantur *stulti*, ut «Via stulti recta in oculis eius; qui autem sapiens est, audit consilia [1].» Quae quidem correptio indicat, adesse ibi deordinationem, vel moralem aliquam malitiam, morali bonitati, seu conformitati affectus cum divina voluntate, oppositam.

Deinde, ipsa Ecclesia saepe eas adhibet loquendi formas, in quibus distinguuntur peccata a pravis actibus, qui certe videntur alii esse non posse, quam mere culpabiles defectus, seu divinis consiliis contrarii. Sic in ore Sacerdotis, hostiam offerentis, haec verba ponit: «Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego, indignus famulus tuus, offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, etc.» Ubi no-

1 Prov. xii. 15.

tatu digna sunt verba illa «pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis,» in quibus praeter peccata, mentio fit tum de offensionibus, seu mere culpabilibus defectibus, quia divino iuri adversantur; tum de negligentiis, seu defectibus non culpabilibus, seu de actibus illis, quibus videlicet Deum utique colimus; at non illa virium intentione, qua colere possemus: quibus etiam negligentiis ut suppleatur, offertur sacrificium, sicut offertur ad satisfaciendum pro offensionibus et peccatis.

Similem loquendi modum usurpant Sancti Patres. Idipsum tandem ostendit mos ille fidelium, etiam doctrina et pietate praestantium, in confessione, tamquam pravos actus accusantium multa, quae reapse non sunt peccata: de quibus omnibus absolvuntur tamen formula illa: «Ego te absolvo à peccatis tuis:» ubi vox «peccatum» sumitur pro quacumque divina offensione.

Postremo, suavissima divinae gubernationis ratio non semper praecipit, suam auctoritatem interponendo: multa enim dumtaxat probat, committitque hominis arbitrio, ut faciat, si quidem velit. Eodem prorsus modo, quam supra diximus, de eo, qui neque praecepto, neque consilio ad sacrum audiendum die non festo adigitur. Attamen si quando Deus aliquid absolute a nobis fieri velit, quin hoc optioni nostrae relinquat, certe non potest nos non obligare; ac proinde omnis affectio nostra, quae divinae huiusmodi voluntati adversetur, nonnulla deordinationis nota vitiabitur: ea enim excellentia Deus est suprema omnis ordinis regula, ut nequeat sine deordinatione a creaturis negligi. «Semper, ait Stus. Thomas, tenetur homo velle, quod Deus vult eum

velle [1].» Et alludens ad duplicem Dei voluntatem, alteram legis vel praecepti, alteram consilii, subiungit: «Et hoc homini praecipue innotescit per praeceptum divinum.» «Praecipue» ait, seu cum strictiori obligatione: aliquando enim etiam per divinum consilium innotescit.

Neque illud obstat, quod saepe dicitur ab auctoribus, aliqua esse opera non obligationis, sed supererogationis, eo quod de illis non exstet praeceptum, sed dumtaxat consilium nequaquam obligans. Non obstat, inquam, quia in huiusmodi loquutionibus non sumitur vox «consilium» eo strictiori sensu, quo nos sumimus; sed latiori, pro mera scilicet eorum, quae magis conveniunt, approbatione.

Caeterum divisio illa inordinatarum affectionum in affectiones inordinatas deordinatione peccati, ac deordinatione mere culpabilis defectus, et certa est, et communis. Has vero posteriores vocant non pauci Theologorum «imperfectiones:» et hoc dupliciter. *Primo*, negative: quatenus privantur omnimoda illa atque absoluta bonitate morali, quam eis homo tribuere posset, id est, quatenus per illarum actus homo Deum non colit quantum posset colere, in quo natura defectus non culpabilis consistit: unde vocari solent «imperfectiones morales negativae.» *Secundo*, positive: quatenus in se continent moralem aliquam malitiam, ideoque sunt reapse «positive imperfectiones.» Nos autem eas vocamus, ac deinceps vocabimus, «defectus culpabiles:» tum quia culpa non semper includit deordinationem peccati propriam, ut habetur in Sto. Thoma [2], tum

1 2. 2. q. 104. a. 4. ad 3.
2 1. p. q. 48. a. 5 et 6.

quia est usitatius nomen, etiam a Sto. Ignatio usurpatum [1].

CAPVT IV

IN TOLLENDIS POSTERIORIBVS INORDINATIS AFFECTIONIBVS, MAIOREM ESSE DIFFICVLTATEM, QVAM IN PRIORIBVS

Tertium, quod, ut supra diximus, prae oculis habere oportet, illud est, posteriores has inordinatas affectiones, deordinatione mere culpabilis defectus, multo difficilius posse auferri, quam priores illae, quae continent deordinationem peccati. Huius difficultatis triplex est causa. Prima, quia eo ipso quod deordinatione peccati carent, minus malae sunt, quam priores, quae quidem peccatum continent; peccatum enim semper est deterius eo, quod peccatum non est: idcirco minus etiam animi naturae adversantur, ac proinde facilius eis indulgemus.

Secvnda, quia sunt veluti postremae arces, in quas confugit inordinatus amor divitiarum, et honorum, et voluptatum, quem videlicet amorem, etsi est nostrarum omnium perturbationum radix et causa, magna tamen difficultate exuimus.

Tertia tandem, quia eo ipso, quod peccati deordinatione carent, magis obtegitur earum malitia, neque nobis tam aperte innotescit. Contrarium vero contingit in prioribus affectionibus, peccatum continentibus: quum enim peccati malitia evidentior appareat, eam celare non possunt, nisi forte obscuritate passionum aliisque praetextibus operiant. Illae autem propriam

1 Const. P. III. C. V. §. 15.

malitiam obtegere dicuntur, non quasi eam absolute et invincibili ignorantia homo ignoret; tunc enim ab omni deordinatione excusaretur; sed quia, quum minus malae sint, minus etiam nos ab illis abhorremus.

De inordinatis huiusmodi affectionibus interpretantur Sancti Patres illud Scripturae: «Est via, quae videtur homini recta, et novissima eius ducunt ad mortem [1].» Multi enim ob earum malitiae ignorantiam et contemptum, in gravissima peccata lapsi, aeternum sibi exitium pepererunt.

CAPVT V

DIVISIO INORDINATARVM AFFECTIONVM IN QVATVOR GENERA, CVI RESPONDET EXERCITIORVM DIVISIO IN QVATVOR HEBDOMADAS

Quum posteriores inordinatae affectiones tam occultae lateant, ut diximus; aliunde vero sint innumerae, tum ob multitudinem obiectorum, circa quae versantur, tum ob praetextuum seu titulorum varietatem, quibus propriam obtegunt malitiam, qui quidem praetextus, utpote rei minus malae, facilius admittuntur: quaeret aliquis, quomodo poterit homo a tot ac tam callidis inimicis sese expedire?

Respondeo, optimam esse viam, qua in Davide rege liberando usus est Deus: «Divisit Dominus inimicos meos coram me [2].» Dividendae, inquam, sunt inordinatae affectiones, atque ad certa quaedam capita redigendae. Ratio vero divisionis in hac re non desu-

1 Prov. xvi. 25.
2 2. Reg. i. 20.

menda est ex illarum obiectis, ex divitiis nempe, et honoribus, et voluptatibus; quia quum in omnibus his delectabile bonum praecipue et tamquam finis appetatur, vix locus patebit divisioni.

Commodior igitur distributio ex triplici modo desumetur, quo ipsae malitiam obtegunt. Aliae enim crassiores sunt, minus subtiles, minus abstrusae, nonnihil tamen malitiam operiunt: quales sunt, quae versantur circa mundana bona generatim sumpta, nulla habita ratione sive gravissimorum malorum vitandorum, sive praetextuum spiritualium. Aliae autem minus crassae, at subtiliores, magis abstrusae, propriamque malitiam obtegentes; quibus trahimur ad bona mundana, quatenus agitur de gravibus malis devitandis. Postremae tandem minus adhuc sunt crassae, magisque subtiles et abstrusae, et propriam malitiam operientes; cuiusmodi sunt illae, quibus appetuntur quidem bona mundana, at sub spiritualibus praetextibus.

Quod igitur attinet ad praxin deordinatarum affectionum tollendarum, praedicta omnia in unum colligendo, quadruplex earum genus distinguendum est:

Primvm est, affectionum ad mundana bona, deordinationem peccati continentium.

Secvndvm, affectionum ad mundana bona generatim sumpta, mere culpabilis defectus deordinationem continentium.

Tertivm, affectionum ad mundana bona mere culpabilis defectus inordinationem continentium, quantum pertinet ad gravissima mala non perferenda.

Qvartvm, denique, affectionum ad mundana bona, mere culpabilis defectus deordinationem continentium sub spiritualibus praetextibus.

Vocantur autem «genera,» quia varias sub se species continent: unumquodque vero genus, quo magis propriam malitiam obtegit, eo potest difficilius auferri.

Quae hactenus de inordinatis affectionibus explicuimus maxime prae oculis habenda sunt, quia sunt fundamentum totius Ignatianorum Exercitiorum methodi, eiusque intelligentiam efficiunt facillimam. Christus enim, eiusque Mater beatissima, id Ignatio commendarunt, ut in Exercitiis fideles ad continuam Dei praesentiam disponeret, eos inducendo ad tollenda a se quatuor illa genera affectionum, adversantium quatuor aliis virtutum generibus, quae aut inordinatis illis affectionibus opponuntur, aut directam huiusmodi oppositionem speciatim fovent: quae scilicet virtutes eo difficilius induci in animum possunt, quo difficilius auferri possunt inordinatae affectiones sibi oppositae. In quatuor igitur hebdomadas Exercitia partiretur, quarum unaquaeque, tamquam ad proprium finem, ad unum affectionum genus auferendum, simulque ad inducendum oppositum affectuum seu virtutum genus, dirigeretur.

Inde autem, tamquam ex fundamento, desumendam esse Exercitiorum methodum, evidenter agnoscet quicumque Exercitiorum quatuor hebdomadas cum quatuor his inordinatarum affectionum generibus conferat.

In Prima enim hebdomada Btus. Pater, perpetuo tum in exercitiis, tum in examinibus, peccatum oppugnat. De eo autem in sequentibus vix directe loquitur: in his enim semper agit de inordinatis ab bona mundana affectionibus.

Et quidem in Secvnda hebdomada generatim dumtaxat de iis tollendis agit, proponitque mysteria vitae

Christi Domini ante passionem, cum exercitio de duobus vexillis, quod totam Christi vitam exhibet contrariam illis affectionibus.

In Tertia hebdomada contra inordinatas affectiones ad bona mundana, quatenus avertunt a gravibus malis perferendis, proposuit Christi passionem, in qua tot mala perpessus est.

In Qvarta denique hebdomada inordinatis affectionibus sub praetextibus spiritualibus opposuit mysteria Christi gloriosi, cum contemplatione ad obtinendum amorem, et praeposita duplici admonitione, quae praetextus omnes spirituales facile excludit.

Res esset nullius fere negotii, ostendere perpetuam hanc Ignatii mentem, nonnullos libelli textus perpendendo: verum id in re tam perspicua opus non est: neque longiores nos esse oportet, si perspicuitati consulere, et memoriam juvare, velimus. Sed antequam veniamus ad methodum exponendam, qua Stus. Ignatius ea, quae sibi a Christo, eiusque Matre beatissima, tradita et commendata sunt, exsequutus est; tria sunt advertenda, quae ipsi pariter commendata fuere.

Primvm est, ut eis, quos duceret ad obtinenda quatuor illa virtutum seu affectuum genera, quae diximus, ob oculos perpetuo poneret Exemplar, Magistrum ac Redemptorem Christum Iesum, qui est una ac necessaria Via, Veritas et Vita, ut superius explicuimus: ubi adnotavimus Beatam Virginem perpetuam Christo filio sociam additam fuisse.

Secvndvm, ut mentali orationi, in qua nos exercendi sumus, aptissimam designaret materiam, ad excitandum in nobis quadruplex illud affectuum genus. Quamvis enim sacrae omnes materiae seu veritates, ex mu-

tuo vinculo, quo inter se copulantur, ita sumi possint, ut ad quoscumque pios affectus excitandos sint idoneae; aliae tamen ad alios affectus sunt aptiores: Deus autem vult, ut media ad finem aptiora seligamus.

Tertium, ut in omnibus debito cum ordine nos dirigeret, procedendo ab illo, quod rationem habet fundamenti, ad ea quae in ipso nituntur, et a minus difficili ad difficiliora; ut divinae Providentiae, quantum in nobis est, debita cum subordinatione ac reverentia cooperaremur: ex sua enim infinita sapientia in omnibus operibus, non exclusis supernaturalibus, efficaciam communiter cum suavitate coniungit, sine violentia, sine praecipitatione, sine ulla rerum perturbatione, quia «Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter [1].»

CAPVT VI

DE EXERCITIIS MEDITATIONVM VNICVIQVE HEBDOMADAE PROPRIIS, QVIBVS TOLLENDA SVNT SINGVLA DEORDINATARVM AFFECTIONVM GENERA

Ita edoctus Ignatius a Christo eiusque Matre beatissima, opus aggressus est. Et primo quidem, bellum suscepit contra inordinatas affectiones ad bona mundana, peccati deordinationem continentes, iisque exstinguendis primam Exercitiorum hebdomadam destinavit. In qua, praeiacto in consideratione de ultimo fine hominis *Principio* et *Fundamento,* universis quatuor hebdomadis communi, continuo proposuit duplex de peccatis exercitium, duplicem utriusque repetitio-

1 Sap. VIII. 1.

nem, et exercitium de poenis damnatorum. Exercitia item alia de novissimis, ut de morte, de iudicio, etc., permittuntur proponenda in vulgata versione latina ab Instructoribus, quoties id expedire iudicaverint.

Quae omnia patet quam apta sint ad excitandos affectus illos virtutum, quae plus minusve directe peccato adversantur. Vt enim dicitur apud Ecclesiasticum, «In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis [1].» Quare non videtur a mente Sti. Ignatii alienum, si alia exercitia, ut de filio prodigo, de veniali peccato, etc., adiiciantur, quae ad praedictum finem efficacius obtinendum censeantur conferre.

Illud est hic notatu dignum: etsi in hac prima hebdomada mysteria Christi et Beatae Virginis nondum proponuntur, uterque tamen a Sto. Ignatio coram sistitur in colloquiis; per Matrem enim ad Filium, per Filium autem ad Patrem, per quosdam veluti gradus, ascendere praecipit. Adeo id menti inerat, Christum esse unicam et necessariam viam, veritatem ac vitam, semperque sociam habere Illam, per quam et Ipse ad nos venit, et nobis vicissim ad Ipsum est eundum.

Progreditur Btus. Pater, et arma vertit adversus secundum inordinatarum affectionum genus ad bona mundana, generatim sumpta, deordinationem mere culpabilis defectus continentium, quibus in secunda hebdomada genus illud affectuum seu virtutum opponit, quae aut directe illis affectionibus opponuntur, aut directam oppositionem fovent. Praeiacto igitur altero *Principio* et *Fundamento* de Regno Christi, tum

1 Eccli. VII. 40.

pro hac secunda hebdomada, tum pro reliquis duabus, proponit exercitia de mysteriis vitae Christi ante passionem, ut Incarnationem, Nativitatem, etc., singulorumque repetitiones, et applicationes sensuum. Addit exercitium *De duobus vexillis*, cum duplici eius appendice *De tribus hominum classibus* et consideratione *De tribus gradibus humilitatis*. Quum enim facta et doctrina Christi, qui est hominum salus, pestifero mundanorum bonorum amori adeo adversentur; omnia haec exercitia valde sunt idonea ad illarum virtutum, quae nunc quaeruntur, affectus excitandos.

Ad alias autem inordinatas affectiones, quae difficilius tolli possunt, simulque ad alios virtutum affectus, qui difficilius inducuntur, exercitia Dominicae passionis pro tertia hebdomada, Resurrectionis autem usque ad Ascensionem ad quartam reservavit. Cuius rei causa est, quia etiamsi virtutes omnes, quas Christus in omnibus suis mysteriis exercuit, sint in se infinitae, atque inter se aequales; exterius tamen, et quoad nos, ita disponente divinae Providentiae sapientia atque suavitate, apertius patuere tempore passionis, et multo magis post resurrectionem et in ascensione. Tunc enim latior excellentiorque campus apertus est tum charitati, ad diligendum Deum ob infinitas eius perfectiones; tum gratitudini, ad ipsum diligendum ob innumera nobis collata beneficia. Huc pertinet illud: Iesus «proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines [1].»

Ideo Stus. Ignatius, ut bellum affectionibus tertii generis inferret, tertiam hebdomadam ad tertium illud affectuum genus excitandum destinavit, qui aut

1 Luc. II. 52.

directe deordinatis iis affectionibus opponuntur, aut huiusmodi oppositionem speciatim fovent. Ad quos virtutum affectus excitandos, supposita virtutum differentia, a Christo in suis mysteriis exercitarum, mysteria patientis Christi aptisima iudicavit: qualia sunt postrema cum discipulis coena, oratio in horto, etc., cum repetitionibus sensuumque applicationibus consuetis: quibus nonnulla nova puncta adiecit, ob maiorem affectuum, inde ciendorum, excellentiam et difficultatem.

Ad postremam denique hostium arcem arma convertit, contra quartum, inquam, inordinatarum affectionum genus ad bona mundana sub spiritualibus praetextibus; illisque in quarta hebdomada opponit genus illud affectuum seu virtutum, quae pariter aut inordinatis affectionibus directe opponuntur, aut huiusmodi oppositionem speciatim fovent. Quare, iuxta memoratam virtutum differentiam, quas Christus ostendebat, in hac quarta hebdomada proponit tamquam aptissima ad affectus illos virtutum adipiscendos, mysteria Christi resurgentis usque ad Ascensionem, cum solitis repetitionibus, applicationibusque sensuum, addita similiter convenienti punctorum mutatione, ut in tertia hebdomada factum est. Addidit contemplationem ad amorem obtinendum: quae quidem si accurate habeatur, si probe intelligatur duplex illa nota ipsi praeposita, qua monemur, verum amorem magis in operibus, quam in verbis, ponendum, eumque consistere in mutua facultatum, rerum, et operum communicatione; profecto ne vestigium quidem manere posse videtur inordinatae affectionis, quantumvis ingenita eius malitia spiritualibus praetextibus obtegatur.

CAPVT VII

DE ALIIS EXERCITIIS, DEQVE DOCVMENTIS, CVIQVE HEBDOMADAE PECVLIARIBVS, AD OBTINENDA QVATVOR ILLA AFFECTVVM SEV VIRTVTVM GENERA

Non modo exercitia meditationum direxit Btus. Pater ad memorata quatuor affectuum genera obtinenda; verum etiam reliquas omnes exercitationes, documentaque, universa et singula, in ea, ut plurimum, hebdomada collocavit, in qua aptiora visa sunt ad affectus, cuique respondentes, obtinendos.

In prima enim hebdomada, ad excitandum primum affectuum genus inordinatis affectionibus, peccatum continentibus, contrarium, statim in ipso aditu proposuit duplex conscientiae examen, et generalem peccatorum confessionem; eo nempe fine, ut qui exercentur, tum per examen, tum etiam per generalem confessionem, si opus sit, quamprimum possint, certi fiant, quantum in hac vita fieri potest, puros se esse ab omni letali scelere, et plene confidant, se a Deo tantum beneficium accepisse; qui enim sine hac securitate ulterius progredi vellet, supra mobilem arenam aedificium exstrueret. Praeterea, per examen illud quotidianum, quotidie a peccatis, etiam venialibus, mundantur.

In secunda hebdomada, quae prima est earum, in quibus excitantur affectus contrarii deordinatis affectionibus mere culpabilem defectum continentibus, statuum recte eligendorum formam tradit iis, quibus est status eligendus; vitae vero reformationem docet eos, qui iam in stabili ratione vivendi constituti sunt: ex his autem duobus praedicti affectus stabiliendi sunt ac roboran-

di. In media vero secunda hebdomada huiusmodi documenta collocantur; quia hinc quidem, ex iam consideratis Christi mysteriis sat luminis haurire potuerunt qui exercentur, ad deliberandum ac statuendum in re tam gravi; inde vero, in exercitiis, quae subsequuntur, satis suppetit temporis ad ea confirmanda ac perficienda, quae antea statuerint. Similis loci opportunitas posset in aliis exercitationibus documentisque demonstrari. Quocumque tandem in loco ea constituat, (nonnulla enim, quia magis generalia sunt, in finem libri distulit, et in aliis aliae causae sunt considerandae); illud tamen negari nequit, in singulis Btum. Patrem habuisse prae oculis quadruplex illud genus affectuum excitandorum.

Hac igitur ratione Exercitia disposuit Btus. Ignatius, iuxta ea quae fuerant sibi a Christo eiusque Matre beatissima suggesta et commendata: haec est mirabilis eorum ac paene divina methodus, iuxta communem, saltem in ipsa re, eorum sententiam, qui de Exercitiis scripserunt. Huc referuntur verba illa Sti. Ignatii in prima Adnotatione: «ut deinceps dicetur.» Quod autem ipse rem tantam fusius non exposuerit, praeter consuetam brevitatem, duo significat ac docet.

Et *primo* quidem significat, fusiorem methodi explicationem se Instructoribus commisisse, qui admoniti verbis illis «ut deinceps dicetur,» iisque praeterea, quae ibidem triplicem Exercitiorum finem exprimunt, per se ipsi ex accurata libri consideratione, Exercitiorum methodum deprehendere poterant.

Deinde significat, ita fusiorem methodi explanationem Instructoribus fuisse commissam, ut eam ad sese exercentium captum utilitatemque attemperarent: quo-

rum quidem quum tanta sit varietas, nihil Stus. Pater speciatim constituit, sed omnia Instructorum prudentiae commisit. Sperabat enim fore, ut Instructores cuique explicarent, quae utiliora essent tum ad ipsa Exercitia uberiori cum fructu peragenda, tum ad totam vitae rationem componendam, iuxta ibi accepta lumina, et conceptum, nec non constitutum ordinem, in tempore Exercitiorum. Id enim est gravissimi momenti, iuxta illud Pauli: «Ego sic curro, non quasi in incertum [1].»

Quoniam vero ad omnes, qui ad Exercitia accedunt, spectant illa tria, ut primo, deordinatas omnes affectiones a se tollant; deinde, ut christianae vitae methodum instituant; tertio denique, ut Deum continuo praesentem gerere studeant; ideo trium dumtaxat horum meminit; neque enim in re tam generali aliud poterat definiri.

CAPVT VIII

DE PLENIORI COGNITIONE METHODI, QVA STVS. IGNATIVS EXERCITIA DISPOSVIT

Ignatiana profecto Exercitia totius vitae spiritualis fundamenta clarissime continent. Vt ergo ipsius methodi praestantia plenius intelligatur, quinque hic considerationes subiiciam. Prima est, Stum. Ignatium non modo in principaliioribus Exercitiorum partibus, id est, in quatuor hebdomadis, distribuendis, ordinis rationem tam accurate servavisse; verum in ipsorum etiam partibus minoribus, nempe in particularibus

1 1. Cor. IX. 26.

exercitiis, quae cuique hebdomadae assignavit. Ea enim exercitia dirigit ad varias affectuum species sub quatuor illis generibus contentas, et variis itidem inordinatarum affectionum speciebus oppositas. Imo eumdem ordinem servat tum in ipsis partibus, id est, *punctis*, quibus singula exercitia constant, tum in documentis, quae interserit. Verbo, eumdem ordinem tenet in omnibus, quae in libro scripsit; ut in sequentibus dicemus, ea saltem attingendo, quae praecipua videbuntur.

Secvnda est, quatuor illa affectuum seu virtutum genera, in exponenda Exercitiorum methodo, semper spectata a nobis fuisse tamquam opposita quatuor generibus inordinatarum affectionum, sub quibus omnes continentur; ideoque actus illarum virtutum spectavimus quasi essent actus mortificationis, id est, virtutis illius, ut supra diximus, qua quisque deordinatis affectionibus resistit, aut contra eas agit. Cuius rei causa est, quia sic eas spectat Btus. Ignatius, ut patet ex ipsius verbis: «ad tollendas omnes affectiones male ordinatas.» Supponit enim, et postulat, eos actus, qui deordinatas affectiones tollant; qui proinde sint illis contrarii: nam eos non aliter respicit, quam iuxta Exercitiorum methodum, et iuxta illud, quod in exsequutione est eorum finis immediatus.

Vt autem pluris aestimemus tum quadruplex illud affectuum genus, tum ipsa Bti. Ignatii Exercitia, sciendum est, eum spectasse, et spectare nos debere, actus illos, simul et principaliter, *primo* quidem, tamquam multarum diversarumque virtutum, Deo summopere acceptarum, nobisque valde utilium: quales sunt contritio ob admissa peccata, studium imitandi Christum.

affectus compassionis Christi acerbissima patientis, amoris Dei tum ob eius perfectiones, tum ob collata nobis beneficia, etc. *Deinde* vero, tamquam proposita methodi christiane vivendi omnino servandae, Deumque continuo praesentem gerendi: quae quidem proposita frequentissime, ad mentem Sti. Ignatii, per totam Exercitiorum durationem sunt concipienda: ex hoc enim continget, ut tota Exercitia non solum ad proprium finem, verum etiam ad alios duos obtinendos, conspirent. Duplex autem huiusmodi respectus accuratius est in posterioribus hebdomadis habendus: inordinatae enim affectiones, in his hebdomadis auferendae, pauciores sunt.

Quare etiamsi huiusmodi proposita non constituant positivam dispositionem ad continuam Dei praesentiam gerendam, qualem constituit methodus christianae vitae, quatenus per devotionum occupationumque seriem excitat, et conservat, et auget divinam illam praesentiam; alio tamen sensu, sunt quaedam ad illam dispositio, quatenus propria sua natura ad illam obtinendam concurrunt. Neque illud obstat, quod una eademque res, sub alio quidem respectu dicatur dispositio negativa, (ut diximus esse in methodo Ignatianorum Exercitiorum quadruplex illud affectuum seu virtutum genus,) sub alio autem respectu dicatur dispositio positiva, ut reapse, prout nuper dicebamus, hoc ipsum quadruplex genus considerandum est.

Tertia est, quadruplex hoc affectuum genus, simul cum actibus intellectus ad ipsos ciendos praerequisitis, (ut semper supponimus praerequiri,) esse tam universale, ut nulla sit virtus, quae aliquo respectu sub illo speciatim non comprehendatur, et quae proinde ad Igna-

tiana Exercitia speciatim non pertineat. Nam *primo*, ipsae virtutes sunt numero paene infinitae. Virtutis autem nomine nunc intelligimus quemlibet intellectus verum certumque actum, quo ad bonum honestum amplectendum illustramur, id est, id quod est divinae voluntati conveniens, et quemvis actum voluntatis honestum illud, seu divinae voluntati conveniens, bonum amplectentis: hoc enim sensu virtutis nomen solet a Sanctis usurpari. *Deinde*, plures virtutes, ob multitudinem ac varietatem respectuum, quibus spectari possunt, ad singula ex quatuor affectuum generibus, ac proinde ad unamquamque Exercitiorum hebdomadam reducuntur. Eiusmodi sunt fides, spes, charitas, amor Christi et Btae. Virginis, humilitas, mortificatio, etc.

Neque silentio praetereunda sunt duo, quae sunt totidem praecipua Ignatianorum Exercitiorum artificia. *Prius* est, caveri a Bto. Patre, ne multitudine ipsa virtutum impediamur: quamvis enim nulli virtuti adquirendae ostium occludat, (fortasse enim Deo placebit, aliquem eorum, qui exercitiis vacat, ad aliquam particularem vocare;) ipse tamen in iis potissimum insistit, quae efficaciores sunt, et aliarum fundamentum, quibus adquisitis, caeterae facile exercebuntur, quoties occasio se obtulerit. *Posterius* est, in singulis hebdomadis aliam subsequentibus, affectus et virtutes, quae praecedentium sunt propriae, confirmari, in melius evehi, et augeri. Vtrumque hoc artificium ostendemus, quando de singulis speciatim hebdomadis inferius agamus.

Qvarta est, ex dictis intelligi posse, cur Stus. Ignatius, prae oculis continuo habens triplicem illam viam, purgativam, illuminativam, et unitivam, non in has

tres vias, sed in quatuor hebdomadas, Exercitia distribuerit. Causa fuit, *primo* quia ad quatuor illa affectuum genera, quae tractare iussus est a Christo eiusque Matre beatissima, aptiores quatuor hebdomadae, quam tres viae, visae sunt. *Deinde,* quia numerus dierum, qui ad peragenda Exercitia requiri solet, quatuor circiter hebdomadarum spatio definitur, ut habetur in quarta Adnotatione, «tempus triginta dierum aut circiter.» Accedit *denique*, nomen *hebdomada* saepe sacra quadam significatione usurpari in Sacris Bibliis. Ipsa etiam octiduana exercitia, quotannis fieri solita, *quatuor hebdomadae* nuncupantur: cuius quidem nuncupationis duplex est utilitas. *Prior,* quia ea admonemur, etiam tunc percurrendas esse, licet brevius, quatuor hebdomadas, et quatuor affectuum genera excitanda; *altera,* quia in memoriam revocat durasse olim exercitia triginta circiter dies, quibus res tanta accuratissime peragebatur: multo igitur accuratius oportere, nos tam brevi tempore exercitia perficere. Inde eruere licet, divinos Magistros, qui Ignatium illustrabant, nomen ac numerum hebdomadarum ita suggessisse, ut eius arbitrio non permitterent, licet aliis in rebus prudentis viri cooperationem minime excluderent.

Qvinta denique, (quae ex nuper dictis fluit), intelligi quae supra docuimus, mirandam et planc caelestem Ignatianorum Exercitiorum methodum, tutiores reddere ac faciliores tres illas vias, purgativam, illuminativam, et unitivam. Primum enim affectuum virtutumque genus pertinet ad purgativam; secundum autem ac tertium ad illuminativam; quartum denique ad unitivam. Ita sentiunt quotquot de Ignatianis Exercitiis scripserunt; ita Directorium, cap. 30; ita facile

agnoscet quicumque triplicis illius viae rationem consideret, iuxta ea, quae supra dicebamus, et memoria teneat quae de quatuor generibus affectuum seu virtutum, quatuor hebdomadis respondentium, nuper disseruimus. Si qua vero diversitas exsistit, in eo stat, quod in triplici illa via actus virtutum, qui illuminativae atque unitivae tribuuntur, non spectantur tamquam inordinatis affectionibus contrarii, prout in quadruplici Exercitiorum hebdomada respiciuntur, eo quippe fine, ut mortificationem, quae adeo necessaria est, perpetuo ob oculos geramus; reapse vero iidem prorsus actus in utraque methodo praecipiuntur, ut consideranti patebit.

CAPVT IX

QVOMODO IGNATIANA EXERCITIORVM METHODVS TVTIOREM FACILIOREMQVE TRIPLICIS VIAE METHODVM EFFICIAT

Ex his, quae hactenus dicta sunt, abunde ostendi posset, Ignatianam Exercitiorum methodum tres illas, quas diximus, vias tutiores facilioresque efficere. Generatim enim loquendo, Ignatiana methodus *primo* quidem, pericula patefacit, quae in triplici illa via inveniuntur, orta nempe tum ex ipsa fragilitate humana, tum ex daemonis calliditate. Certe in huiusmodi pericula nonnulli lapsi sunt, eo quod regulas ac documenta, quae ad illa vitanda traduntur, non agnoverunt. Ab omnibus autem his periculis Ignatiana methodus liberat. *Deinde* difficultates, quae in illis viis reperiuntur, Stus. Ignatius aut omnino tollit, aut saltem minuit. Longior sim, si omnia persequi velim. Totam hanc rem uberrime tractatam lege, sis, in *Via Spiritua-*

li, a P. Ludovico Palmensi elucubrata, qui triplicem illam viam ad Exercitia Sti. Ignatii redegit, atque ex ipsis illustravit.

Speciatim vero maior illa securitas et facilitas, quam triplici viae methodus Ignatiana confert, duplici ex capite ostendi potest. Primvs est, ipsa rerum distributio in triplici via contenta: nullo enim in libro tam accurate distributa exstabat, ante quam Exercitiorum liber scriberetur; eam autem induxit Ignatius, a Christo eiusque Matre beatissima edoctus. Huiusmodi vero distributionem ita perfecit Ignatius: *primo*, quatuor illa deordinatarum affectionum genera distinxit; *deinde*, quatuor his generibus opposuit quatuor affectuum genera, ad oppositas virtutes pertinentium; *tertio* quadruplici huic affectuum seu virtutum generi quatuor Exercitiorum hebdomadas, singulis generibus singulas, destinavit; *quarto*, cuique hebdomadae aptissimas meditationes exercitationesque alias designavit, aptissimoque disposuit ordine, iis potissimum insistendo, quae efficaciora sunt, ac solidiora subsequentium fundamenta; *quinto*, fructum praecedentium hebdomadarum in sequentibus confirmavit, perfecit, adauxit; *sexto* denique, opportunissimis documentis omnia intexuit. Ex quibus infertur, Ignatiana Exercitia facere, ac sese postea ipsorum methodo regere, non esse triplicem illam viam deseruisse, sed iter, per hanc institutum, tutius faciliusque efficere.

Altervm, quod et simplicius et magis perspicuum est, consistit in triplici fine, ad quem obtinendum, ipsa Exercitia, totaque eorum methodus convertunt exercitationes universas, omnesque spiritualis vitae, (ac proinde triplicis etiam illius viae,) actus. Triplex

enim est ille finis, ut diximus: primus quidem, tollere deordinatas affectiones; secundus autem, vitae christianae rationem instituere; tertius denique, Deum gerere continuo praesentem. Iam vero triplex huiusmodi finis summarium quoddam, omnium tutissimum et facillimum, continet, breve praeterea, cunctorum captui accommodatum, omnibusque sufficiens, ad quod universa vita spiritualis redigi potest, ut ex dictis patet, et magis ex statim dicendis constabit: imo quisque per se cognoscere potest; et agnoscet profecto, si rem ad praxin deducat. Inde certe oritur potissimum securitas illa et facilitas, quam diximus.

CAPVT X

RATIO CONIVNGENDAE IGNATIANAE METHODI CVM METHODO TRIPLICIS VIAE

Venit tandem opportuna occasio tradendi, ut polliciti fueramus, brevem utilissimamque praxin seu rationem coniungendae methodi Ignatianae cum methodo de triplici via; quae quidem praxis in tribus hisce consistit:

Primo quidem, ut ex primo Exercitiorum fine addiscamus, summopere cavendas esse deordinatas affectiones; potissimum vero abhorrendum esse nobis ab omni peccato, etiam veniali, multoque magis a letali; illudque enitendum, (quantum fieri possit,) ut securi simus versari nos in statu gratiae. Quod si quando in culpabilem aliquem defectum dilabamur, a Deo postulemus veniam, emendationemque proponamus.

Et haec est ratio coniungendae Ignatianae methodi cum via purgativa, in qua a peccatis purgamur. Quam-

vis autem in hac via purgatio spectetur dumtaxat a peccatis; nihil tamen impedit, quominus mere culpabiles etiam defectus inter peccata recenseantur, quippe qui suo modo animum quoque maculant, ideoque ab eis est purgandus.

Deinde vero, ut ex secundo Exercitiorum fine propositum concipiamus methodi christianae vitae fideliter constanterque servandae; methodi, inquam, quam iuxta nostrum statum, eiusque adiuncta, magis Deo placituram fore iudicaverimus. Quae quidem methodus, quoniam actus illarum virtutum necessario continebit, quae ad charitatem actualem moraliter continuam disponunt, coniungetur iam cum via illuminativa, in qua, uberiori, quam in purgativa, caelesti lumine illustrati, in illis virtutibus corroboramur, quae ad charitatem actualem moraliter continuam speciatim disponunt.

Postremo, ut ex tertio Exercitiorum fine exercitium assumamus continuae praesentiae divinae: quae quidem si sit completa, actualem iam charitatem moraliter continuam excellentissime continebit. Convenit proinde ex hoc capite Ignatiana methodus cum via unitiva, in qua, per actualem charitatem moraliter continuam, affective cum Deo unimur.

En brevem utilissimamque praxin, quam promiseramus. Quae profecto et doctrinae mentique Bti. Patris apte respondet, et potissimum omnium, a Christo, eiusque Matre beatissima, intenta, tradita et commendata Sto. Ignatio fuit, ut eamdem ipse intenderet, traderet, commendaret. Id exsequutus est Btus. Pater dum adhuc in his terris versaretur: idipsum e caelis promovet. Certe, dum Exercitiis per statutos dies vacamus, in excitandis penitus quatuor illis affectuum generibus

nos detinet, ut eorum quum notitiam, tum aliquem iam habitum, adquiramus, quo postea, quum se occasio obtulerit, adiuvemur. Verum Ignatii zelus non ad illorum dierum angustias circumscribitur: imo illud praecipue optat intenditque, ut profectus, ex Exercitiis hauriendus, consistat non in floribus, qui illico marcescant; sed in fructibus, diu permansuris, atque ad eam perventuris maturitatem, ut tandem aliquando digni evadant, quos liceat in Domini mensa ministrari. Id vero ex hactenus exposita praxi, procul dubio obtinebitur.

SECTIO IV

DE METHODO CHRISTIANAE VITAE, QVAE EST SECVNDVS EXERCITIORVM FINIS

CAPVT I

QVID SIT CHRISTIANAE VITAE METHODVS

Methodus christianae vitae in eo consistit, quod quisque iuxta proprium statum eiusque adiuncta, exactissime magnaque cum constantia servet, statutis temporibus, ordinem illum devotionum occupationumque caeterarum, pro singulis diebus, hebdomadis, mensibus, etc., quem sibi magis expedire noverit ad Dei gloriam, et propriae animae salutem, nempe salvationem et perfectionem. Animae enim salus cum divina illa gloria connectitur.

Hanc descriptionem respondere menti Sti. Patris, patet primo, ex illis verbis [1] «Ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam in vitae suae dispositione.» Ordo enim, quem haec verba significant, non modo est occupatio quaedam, sed etiam aliqua *dispositio*. Quoniam vero hic ordo est tum devotionum, tum aliarum etiam cuiusque occupationum, ideo est *dispositio vitae*. Denique, quia debet ea omnia complecti, quae quisque sibi noverit magis expedire ad divinam gloriam; opus est, ut sit illud in quo *quaerenda et inve-*

1 In 1.ª Annotatione.

nienda sit divina voluntas: id autem aliis verbis S. Pater, agens de vitae reformatione, vocat «ponere creationem suam, vitam et statum ad gloriam et laudem Dei Domini nostri.» Quae quidem verba posuit S. Pater ibi in secunda hebdomada, non modo quatenus pertinent ad finem seu genus affectuum illius hebdomadae proprium, verum etiam ut iis curam excitet ac proposita vitae christiano more instituendae.

Patet deinde ex ipsa Exercitiorum inscriptione, quae sic se habet: «Exercitia spiritualia, ut (homo) vincat se ipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.» Illis enim verbis «ordinet vitam suam,» profecto intelligit B. Pater methodum christianae vitae: ordo enim et methodus unum idemque sunt. Quod ordinatio ista fiat, quin homo «se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit,» iam hoc ipso ordo, seu methodus inde orta, erit *methodus christiana*.

Eadem leguntur saepe in Constitutionibus: ut in P. III. c. 1. §. 20 (Summ. 21). «Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, et devotioni quaerendae pro mensura gratiae Dei ipsis communicatae insistant.» Ubi expressis verbis meminit «rerum.» id est, exercitiorum «spiritualium.» seu, prout nos dicimus, *devotionum:* hae sunt enim pars praecipua Methodi christianae vitae. Ideo multi eorum, qui de Exercitiis scripserunt, christianae vitae Methodum vocant absolute *exercitia spiritualia*. Nobis vero placuit, appellare *Methodum:* tum quia hoc nomen plura comprehendit, tum quia aptius respondet verbis illis Sti. Ignatii *dispositio* et *se ordinare*. Eam vero *christianam* nuncupamus, ut omnibus fidelibus conveniat, quemadmodum certe sunt

eis communia ipsa Exercitia. Iam intelligitur, aliis etiam differentiis debere specialius determinari, ita ut pro religiosis sit Methodus *religiosa*, pro sacerdotibus *sacerdotalis*.

CAPVT II

DE CONFICIENDA METHODO CHRISTIANAE VITAE

Quaeret fortasse quispiam: quaenam generatim devotiones occupationesque assignari commendarive possint ad Methodum christianae vitae conficiendam? Respondeo: quod attinet ad devotiones, quae sunt pars Methodi praecipua, has posse commendari: primo, mane, postquam e lecto surgas, offer Deo opera illius diei; secundo, tempus aliquod tribue mentali orationi, ei saltem quam *simplicem* vocavimus; tertio, sacrum audi; quarto, rosarias aliasve preces Btae. Virgini recita; quinto, sancto Angelo Custodi, sancto patrono, aliisque te commenda; sexto, post prandium Deo gratias age; septimo, nocte, antequam cubitum eas, conscientiam discute. Haec quotidie.

Aliis vero temporibus, haec fieri possunt: primo, ad Sacramenta accede iuxta consilium confesarii, quem elige pium, nec facile mutes; secundo, aliquam adhibe corporis castigationem, aut Deo saltem libenter offer adversitates, si quae incidant, in peccatorum satisfactionem; tertio, saepe verbum Dei aut audi, aut lege; quarto tandem, aliqua misericordiae opera, tum spiritualia, tum corporalia, iuxta tuas facultates, exerce.

Quod pertinet ad alteram Methodi partem, id est, ad alias occupationes, cura primo, ut quae sunt officii tui, quam accuratissime perficias; secundo, si quidem

tempus supererit, eas assume, quae Deo magis placeant; tertio, omni ope devita peccandi occasiones, tum proximas, tum remotas; quarto, otium fuge: ne tamen ita occupationibus graveris, ut aliae alias impediant.

Haec sunt, quae hac in re generatim dici possunt: omnia profecto doctrinae Sti. Ignatii apprime consonant. Verum christianae vitae Methodus a cuiusque statu, eiusque adiunctis, potissimum pendet. Quae enim alteri sufficiunt, non sufficient alteri; quae illi expediunt, hunc impedient. Ideo S. Pater in suo libro nihil paene hac in re determinat aut constituit; sed omnia et considerationi eius, qui exercetur, et Instructoris prudentiae committit.

Tria vero haec sunt ab utroque maxime curanda in conficienda eiusmodi Methodo:

Primvm, ut singulis devotionibus opportunum tempus assignent: ita enim multo plura effici poterunt, et quidem minori cum defatigatione.

Secvndvm, ut semel statuta, sancte serventur; nihil videlicet eorum, maxime praecipuorum, omittendum, excepto casu necessitatis; imo singula perfecte peragenda.

Tertivm, ut constantes simus, neque ordinem temere mutemus, nisi forte mutetur aut status, aut eius adiuncta.

Quae tria, praeter alia, quae afferent, commoda, paulatim habitum gignent Methodi servandae: eaque proinde maiori facilitate servari poterit. Eadem illa tria includit S. Pater in voce «dispositio:» partium enim dispositio, si perfecta sit, ut B. Pater supponit esse, postulat eas fixas, integras, permanentes.

CAPVT III

QVANTI METHODVM CHRISTIANAE VITAE STVS. IGNATIVS FECERIT

Quanti fecerit S. Ignatius christianae vitae Methodum, multis ostendere possemus. Illud unum sufficiat, eam inter triplicem praecipuum finem rei adeo gravis, qualis Exercitia sunt, annumerasse. Causa vero cur tanto in pretio habuerit, est, ut iam antea innuimus, quia haec Methodus continuam Dei praesentiam excitat, conservat, auget. *Excitat* quidem, quia si quando negligentiores, quam par est, in ea gerenda simus; devotiones in Methodo contentae in memoriam revocant. *Conservat* autem, non solum ope devotionum, ut patet; sed etiam sanctis ipsis occupationibus, quae prohibent, quominus in vanas alias occupationes abeamus. *Auget* tandem, quia devotiones illae motiva divinae praesentiae continuo menti obiiciunt.

Adeo sunt haec vera, ut numquam fere in continua Dei praesentia intepescamus, nisi quia prius in christianae vitae Methodo servanda intepuerimus. Quare quum tanti momenti sit continua Dei praesentia; consequens est, ut magni etiam sit momenti christianae vitae Methodus, magnique a Sto. Ignatio duceretur. Accedit, frequentissimos actus virtutum in ea contineri, qui et divinae gloriae non parum inserviunt, et uberrimam praebent segetem meritorum.

SECTIO V

DE CONTINVA DEI PRAESENTIA, QVAE OMNIVM PRAECIPVVS EST EXERCITIORVM FINIS

CAPVT I

IN QVONAM CONSISTAT CONTINVA DEI PRAESENTIA

Quum continua Dei praesentia sit praecipuus ex tribus Ignatianorum Exercitiorum finibus; non abs re erit, si in ea explicanda aliquandiu immoremur.

Sita ergo est eiusmodi praesentia in eo, quod primo, *intellectu* fide illuminato, maxima, qua possimus, continuitate, Deum cogitemus, eumque nobis ubique praesentem, infinite bonum, quum in se, tum quoad nos; secundo, *voluntate* vero ea omnia, quae ipse voluerit, aut ad maiorem eius gloriam sint, operemur et acceptemus, et quidem ex charitate, seu infinitarum illius perfectionum amore, et etiam ex gratitudine ob innumera ab eo accepta beneficia: addita his spe seu fiducia, et ad illum recursu. Tria igitur in ea continentur: fides, charitas et gratitudo, spes et ad ipsum recursus.

Ea, ut supra dicebamus, neque alia crebrior, est continua Dei praesentia, ad mentem Sti. Ignatii. Eam si quis attente consideret, agnoscet constituere spiritum totius libri Exercitiorum, omniumque scriptorum, quae a B. Patre accepimus: idque evidentius deprehenditur in tota eius vita, quae quidem ex ipsa ad

Deum conversione, fuit reapse continua haec Dei praesentia. Quod ut clarius pateat, duplex afferri potest locus, alter ex ipsis Exercitiis, alter ex Constitutionibus.

Locus Exercitiorum habetur in contemplatione ad excitandum amorem, quam in quarta hebdomada collocavit, ut ad continuam Dei praesentiam nos eveheret: quemadmodum in secunda hebdomada reformationem vitae proposuit, ut de cura et proposito instituendi vitae christianae Methodum admoneret. His verbis continetur: «Sume, Domine, et suscipe omnem meam libertatem, meam memoriam, meum intellectum, et omnem voluntatem meam, quidquid habeo et possideo; tu mihi haec omnia dedisti; tibi, Domine, ea restituo: omnia tua sunt, dispone [de illis] pro omni voluntate tua. Da mihi tuum amorem et gratiam, nam haec mihi sufficiunt.» Hactenus S. Pater.

Quibus in verbis tria illa reperiuntur, in quibus consistere dicta est continua Dei praesentia: primum, *fides* quidem, in illa voce *Domine,* qua loquitur cum Deo, tamquam praesente; secundum, *charitas* cum *gratitudine,* in omnibus fere verbis; tertium, *spes* cum *recursu* ad Deum, in illa petitione: «Da mihi tuum amorem et gratiam, nam haec mihi sufficiunt.» Quae omnia magis elucebunt, quando hanc orationem commentabimur.

Locus Constitutionum habetur in P. III. Cap. 1. §. 26, ubi continuam Dei praesentiam explicans per illa verba «quaerere divinam voluntatem» et «quaerere Deum,» quibus in prima etiam Adnotatione utitur, ita scribit: «Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitae suae statum, verum etiam circa res omnes particulares; id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant Divinae bonitati pro-

pter seipsam, et propter charitatem et eximia beneficia, quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum, vel spem praemiorum, (quamvis hinc etiam juvari debeant), et in omnibus quaerant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo, iuxta sanctissimam ac Divinam ipsius voluntatem.»

Quibus in verbis, etiamsi acrius insistit Sanctus Pater in charitate et gratitudine, quippe quae, potius vero charitas, sunt actus divinae illius continuae praesentiae omnium praecipui; supponuntur tamen et quodammodo deprehenduntur fides, ac spes, et recursus ad Deum.

CAPVT II

TRIA NOTATV DIGNA AD PLENIOREM HVIVS REI INTELLIGENTIAM

Vt tota haec continuae Dei praesentiae explicatio maiori in luce ponatur, uberiorque ex ea fructus hauriri possit; quatuor afferam, quae separatis capitibus explanabo. Haec vero sunt: primum, tria notatu digna circa ipsam explicationem; secundum, in quonam sit reponenda divina gloria, cuius in ipsa mentionem fecimus; tertium, quam ob causam S. Ignatius continuam Dei praesentiam appellet «quaerere et invenire divinam voluntatem;» quartum, cur eam tanti faciat, ut constituat omnium praecipuum finem Exercitiorum.

Tria igitur illa notatu digna, quae primo loco tractanda proposuimus, sunt: Primvm, continuam Dei praesentiam, praeter actus, quos supra memoravimus, posse.

imo nonnumquam debere, aliis etiam actibus comitari: ut exempli causa, fide illius finis, ad quem creati sumus; fide quoque Christi Redemptoris, Magistri et Exemplaris; recursu ad B. Virginem. Si quis vero particulari alicui virtuti incumbat, aut a Deo iubeatur in ea se exercere, eiusdem virtutis actus cum illa praesentia coniungere debet.

Neque tanta actuum multitudo terreat. Primo quidem, quia non exiguntur tam continui, quam esse debent actus fidei, aut alius aequivalentis cognitionis Bonitatis divinae, et actus charitatis. Deinde vero, quia omnes virtutum actus ita sibi invicem respondent, aliique aliis subordinantur, ut se mutuo non impediant, sed potius foveant; eadem ratione, qua avium pennae alaeque mutuo sese ad volatus adiuvant. Tandem, ad huiusmodi Dei praesentiam, quam docet S. Ignatius, nihil opus est, ut imaginatio speciem aliquam confingat, ut alii auctores saepe docent: quare omni capitis defatigatione vacat. Imo conformitas illa cum divina voluntate, et fiducia in Deum, quas secum affert eiusmodi praesentia, origo et fons est uberis pacis laetitiaeque interioris.

Secvndvm notatu dignum est, continuam illam Dei praesentiam postulare, ut omnia opera nostra peragamus, quam perfectissime possimus, non modo in eis gloriam Dei intendendo, sed etiam perfectionem ipsis operibus debitam. Secus non essent qualia Deus vult, et ad maiorem eius gloriam conferunt. Quilibet enim dominus, ac proinde etiam Deus, optat, ut servi comisso sibi munere fungantur ea omni perfectione, quae prudenter possibilis est.

Tertivm tandem est, efficax esse medium ad conti-

nuam Dei praesentiam fovendam, frequentem illarum oratiúncularum usum, quas *adspirationes* nuncupamus [1]. Has inter efficacissima est exordium illud cum prima petitione Dominicae orationis: «Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum.» Primis enim verbis «Pater noster,» excitatur fides Dei nobis summe boni, aut innumerorum beneficiorum ab eo concessorum, quibus duobus se amantissimum Patrem exhibet.

Illa vero «Qui es in caelis,» ob oculos ponunt infinitam eius bonitatem intrinsecam, perfectionesve infinitas: hae enim sunt caeli illi, in quibus potissimum est. Petitione praeterea illa «Sanctificetur nomen tuum,» et charitatem et gratitudinem exercemus, ostendimusque voluntatem glorificandi Deum in his, quae agimus aut acceptamus, propter motiva in exordio proposita. In hac enim petitione idem est *sanctificare* ac *glorificare;* et *nomen* Dei, idem quod ipse *Deus*.

Efficacissima pariter est illa: «Gloria Patri, etc.,» si ut supponitur, cum affectu recitetur.

CAPVT III

IN QVONAM SITA SIT DIVINA GLORIA PER CONTINVAM DEI PRAESENTIAM QVAERENDA

Antequam explicemus qualis divina gloria sit per continuam Dei praesentiam quaerenda, duo praemittenda sunt, quae ad huius rei intelligentiam optime conferre poterunt.

Primvm est, alicuius gloriam esse aut quamlibet eius claritatem, aut saltem claritatis fundamentum. Gloria

1 Hispanice, *jaculatorias*.

vero divina, qua de hic agimus, (et vocatur etiam *honor divinus, laus divina, obsequium divinum*, etc.,) non est *substantialis* illa Dei gloria, quae consistit in sui ipsius visione et amore, cum infinita charitate et gaudio, haec enim a nobis non pendet; sed *accidentalis*, stans in eo quod fiant illa, quae Deus vult, ut fiant. Ideo igitur in illa petitione, nuper exposita, in qua postulamus, ut Deus glorificetur, utimur loquutione hac «nomen tuum:» ut videlicet significemus, quaerere nos illam Dei gloriam, quae ita est ei accidentalis, sicut cuique accidentale est nomen, quo appellatur.

Secvndvm est, duplicem in Deo distingui a Theologis voluntatem. Alteram *appretiativam*, qua Deus alia a se plus vel minus vult ac diligit iuxta maiorem vel minorem bonitatem. quam in seipsis habent, aut qua sunt maioris vel minoris aestimationis dignae. *Intentivam* alteram, qua Deus vult seu intendit, ut aliqua fiant, licet minus sint in se bona, quam alia, quae non vult, ut fiant: ita, exempli causa, voluit ut fieret, et reapse factus est, hic mundus; et noluit, ut fierent infiniti alii mundi possibiles, qui essent hoc mundo perfectiores seu meliores.

Hisce praeiactis, dico, accidentalem illam divinam gloriam, de qua est sermo in explicanda continua Dei praesentia, non esse exsequutionem divinae voluntatis *appretiativae*, sed *intentivae*.

Ratio prioris partis est, quia saepe Deus ipse impedit adimpletionem voluntatis suae *appretiativae*, ut patet in allato exemplo de non creatis mundis hoc exsistente perfectioribus. Iam vero Deus numquam suam gloriam impedit.

Posterior pars patebit, si consideres, hinc esse in se

bona, quaecumque Deus voluntate intentiva vult, hinc autem in eo se potissimum gerere tamquam absolutum omnium creaturarum dominum, quod haec, et non alia, licet in seipsis meliora, fiant: et certe in hoc glorificatur honoraturque rectissimus ille atque infinitus Dominus; id enim infinitis ei titulis debetur. Maxime vero glorificatur, quoties ea, quae fiunt, sunt opera sancta, actusque virtutum; quia ea, utpote perfectiora, magis ipse vult: nunc enim supponimus velle Deum et voluntate intentiva, et ea, quae sunt in seipsis meliora. Item, caeteris paribus, magis glorificatur Deus, si ea, quae fiunt, sint opera sancta et libero nostro arbitrio prorsus permissa; quae quidem quum non ex necessitate fiant, obsequii plus continent. Eadem de causa, magis adhuc glorificatur, quoties ad opera haec facienda, debet homo semet ipse vincere.

Ex his non parum luminis accedit nostrae illi explicationi, in qua dicebamus, continuam Dei praesentiam illud importare, ut nempe et operemur et acceptemus omnia ea, quae magis Deus vult, seu maiorem eius gloriam continent.

Illa enim verba «quae magis Deus vult» intelligenda sunt de voluntate Dei *intentiva*, quae iam absolute voluntatis nomine intelligitur. Profecto voluntas haec intentiva non semper adimpletur, quia ea est Divina suavitas, ut se creaturarum libertati attemperet: et quoniam creaturae, ex vi huius libertatis, non semper ea operantur, quae Deus vult; ideo intentiva illa voluntas non semper est efficax.

Loquutione autem illa «aut maiorem eius gloriam continent,» (*accidentalem* videlicet, ut diximus, et iam intelligitur nomine *gloriae*, absolute sumpto,) admone-

mur, debere nos utique existimare, nisi constet contrarium, Deum velle voluntate intentiva, ut nos faciamus ea, quae in seipsis meliora sunt; quaeque proinde vult Deus voluntate etiam appretiativa. Saepe vero hoc non est verum: aliquando enim vult Deus, ut ea operemur, quae in se minus sunt bona, minusque perfecta: ut non raro contingit in iis, qui sub obedientia sunt constituti, et in aegrotis, aut alia quacumque de causa impeditis. Quam intentivam voluntatem simul atque agnoverimus, licet optandum utique sit, ut omnes magis magisque glorificent Deum; quiescendum tamen nobis est, ac laeti minora illa opera exsequi debemus. Non enim appretiativa, sed intentiva, Dei voluntas est, ut diximus, mensura divinae gloriae.

Quae ut clarius adhuc pateant, adnotanda sunt duo illa verba «operari» et «acceptare,» quibus consulto in allata explicatione usi sumus. Vtrumque quidem significat convenientiam cum divina voluntate, sed alio et alio sensu: «operari» videlicet, convenientiam quam vocant *activam,* sive *exsequutionis; acceptare* vero, convenientiam *passivam,* seu *acquiescentiae.* Hanc utramque convenientiam in continua Dei praesentia nos exercere debemus: *activam* quidem, in iis operibus, quae a nostro arbitrio pendent, illa efficiendo, quae magis vult Deus, ut efficiamus; *passivam* vero, in iis, quae non pendent a libero nostro arbitrio; libentissime acceptando ea, quae ipse disponit seu vult, quatenus ex divina dispensatione procedunt; quamquam si earum aliqua sint in damnum proximi, certe Domino non displicet, ut illa doleamus. Ea denique, quae Deus permittit dumtaxat, aut non impedit, peccata nempe et culpabiles defectus, dolenda nobis summopere sunt, quia di-

vinae gloriae adversantur, Deumque inhonorant, iuxta illud Apostoli: «Per praevaricationem legis Deum inhonoras [1].» Decreto tamen Dei permissivo, utpote infinite bono, acquiescendum nobis est.

CAPVT IV

CVR CONTINVAM DEI PRAESENTIAM VOCAVERIT STVS. IGNATIVS «QVAERERE ET INVENIRE DIVINAM VOLVNTATEM»

Sciendum est in primis, loquutionem illam «quaerere divinam voluntatem,» ac proinde etiam «eam invenire» (nempe non modo speculative per cognitionem; sed etiam practice per exsequutionem) usitatam esse in Sacris Litteris ad continuam Dei praesentiam significandam. Sic, locis aliis omissis, legimus in Ps. CIV. 4. «Quaerite Dominum et confirmamini: quaerite faciem eius semper.» Quem locum omnes Sancti de continua Dei praesentia iure merito intelligunt: vox enim illa *facies* apprime ipsam praesentiam significat; et illae *confirmamini* et *quaerite semper* apertissime exprimunt continuitatem. Etsi vero S. Ignatius quando Exercitia scribebat, nondum legerat Sacras Scripturas; voces tamen earum, quoties res postulabat, Christus eiusque Mater beatissima suggerebant.

Alia deinde adest illius appellationis causa. Monitos enim nos voluit B. Pater, nequaquam placere Deo illam nonnullorum tepiditatem et inertiam, quibus, servire se Deo, eiusque praesentiam gerere, profitentibus, nulla vix est cura quaerendi, inquirendi, et comperiendi quaenam a se Deus exigat, quaenam sint eis

1 Rom. II, 23.

peragenda ad divinam gloriam promovendam. Pacem dumtaxat, ut aiunt, animi quaerunt: quam rectius dixeris turpe otium. Id videlicet minime advertunt, ne ipsam quidem veram pacem, neque quodvis aliud spirituale bonum esse quaerendum, nisi quatenus ad divinam gloriam conferunt. Quare illud non est nisi proprius quidam inordinatus amor, nihil continens, quod ad spiritum animique perfectionem pertineat.

Adversus igitur huiusmodi vitium Ignatius divinum nobis tradidit documentum. Illa enim voce *quaerere*, quae sane specialem quamdam sollicitudinem significat, nos admonet, non esse cessandum, donec invenerimus divinam voluntatem, seu quid potius Deus velit, quidve ad maiorem eius gloriam conferat, etiamsi illud sub peccato non praecipiatur, etiamsi ad illa consilia dumtaxat spectet, quorum neglectio ne defectum quidem culpabilem importat: sufficere enim debet, si prudenter existimemus magis illud a Deo probari; gaudendumque nobis in eo, tamquam in invento pleno diuque desiderato thesauro. Huiusmodi thesauro alludit verbum *invenire*, quod verbo *quaerere* apponitur. Duabus igitur his vocibus «voluntatem divinam *quaerere* et *invenire*» complectitur S. Ignatius non continuam modo Dei praesentiam, sed zelum etiam divinae gloriae, quo et ipse inter viros sanctos maxime, quoad vixit, ardebat, et alios inflammare curavit.

Consonat haec doctrina menti Pauli Apostoli scribentis [1]. «Obsecro vos, fratres, reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta,» nempe ut quaera-

1 Rom. xii. 1. 2.

tis, inquiratis, comperiatis (id enim exprimit vox illa *probetis*) voluntatem Dei, ad eam exsequendam.

Triplicem hic distinguit Apostolus divinam voluntatem, quae triplicem constituit supremam moralitatis regulam, ut supra docuimus: legem, consilium, et meram Dei approbationem. *Lex* quidem est, quando, interposita auctoritate, praecipit quae bona et magis necessaria sunt: «quae sit voluntas Dei bona.» *Consilium* autem, quando non interposita certe auctoritate, at nostro tamen arbitrio non relinquens, suadet quae speciali modo bona sunt: non alia enim est consiliorum materia: «et beneplacens.» Mera tandem *approbatio*, quando etiamsi ob gubernationis suavitatem, qua creaturas regit, neque praecipiat, neque suadeat, sed approbet dumtaxat, nostroque arbitrio permittat, quidquid malum non est; attamen semper vult magis illud perfectius, quod agere possumus, ideoque quod est perfectum: «et perfecta.»

CAPVT V

CVR S. IGNATIVS CONTINVAM HANC DEI PRAESENTIAM CONSTITVERIT FINEM EXERCITIORVM PRINCIPALEM

Quanti continuam Dei praesentiam Btus. Pater fecerit, vel ex eo patet, quod eam constituerit finem Exercitiorum principalem. Quibus autem argumentis adductus ad id agendum censendus sit, attigimus supra, quando docebamus continuam Dei praesentiam continere, complere ac tueri ipsam christianam perfectionem; ut nunc fusius explicabimus.

Primo igitur, christianam perfectionem in illa Dei continua praesentia *contineri*, nulli dubium esse po-

test. Christiana enim perfectio consistit in charitate actuali moraliter continua, ut ostendimus: charitas vero eiusmodi evidenter continetur in illa nota continuae Dei praesentiae, iuxta quam peragenda et acceptanda sunt, et quidem ex charitate, ea omnia, quae magis Deus vult, aut maiorem eius gloriam continent.

Verum adverte hic, praesentiam Dei vocari quandoque continuam, non quia reapse continua est, sed quia talis a nobis intenditur; quatenus eam conamur continuam obtinere, neque tamen sumus ad continuitatem tantam adhuc dispositi. Hoc quidem sensu si spectetur, (addita praeterea illa Dei praesentia, eorum qui quatuor affectuum generibus adquirendis student, et illa quam excitat ipsa christianae vitae Methodus), omnes, etiamsi perfectionem nondum attigerint, gerere debent Deum continuo praesentem. Quia si huiusmodi praesentiae divinae obtinendae studeant, poterunt, gratiae auxiliis adiuti, reapse completam illam, ipsamque perfectionem, adipisci: antequam vero adipiscantur, quo propius accedent ad Dei praesentiam complete continuam, eo etiam propius accedent ad perfectionem.

Complet praeterea christianam perfectionem haec divina praesentia, quatenus eam extendit ad universos virtutum actus, quos ipsius integritas requirit: ii vero actus sunt illi omnes, quos Deus a nobis exigit. Haec quoque sunt manifesta: quum enim illa praesentia sit causa cur animus semper occupetur ac inhiet peragendis acceptandisque iis, quae et magis Deus vult et maiorem divinam gloriam continent, atque id ex charitate operetur; idcirco vel imperat, vel impulsu quodam voluntatis elicit, omnes illos actus, prout occasio postulat, quales sunt actus fidei, spei, religionis

sive cultus divini, humilitatis, mortificationis, etc., et illi potissimum, qui in christianae vitae Methodo praestituti habentur.

Omnibus his actibus, nedum proprius valor et meritum, suae speciei respondens, eripitur; imo alius excellentior valor et maius meritum accedit ex charitate, qua imperantur. Quod idem contingit actibus illis, quos *indifferentes* nuncupamus, ut manducare, bibere, moderate animum relaxare; iuxta illud Apostoli [1]: «Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.» Et alibi [2]: «Omnia vestra in charitate fiant,» nempe *charitate imperante*.

Tandem continua Dei praesentia christianam perfectionem *tuetur*, quum eam corroborando, tum contraria ab illa removendo: ut abunde patet in aliis actibus, quos, praeter charitatem, ipsamve perfectionem, continua Dei praesentia in se continet. Ii vero sunt actus *fidei*, quo creditur Deus ubique praesens, et tum in seipso, tum quoad nos, infinite bonus; *gratitudinis* ob innumera accepta beneficia; *spei* seu fiduciae, et *recursus* ad illum.

Vbi apparet fidem esse aliarum, quas diximus, virtutum fundamentum: primo, quia fides est, quae proponit voluntati divinam illam bonitatem absolutam ac relativam; ipsa proponit obiecta, quae opus sunt charitati, gratitudini, spei, recursuique ad Deum; secundo, ea omnia *firmiter* proponit fides, cui quidem firmitas est essentialis: unde oritur, fidem omnia solidissime fundare et corroborare.

1 1. Cor. x, 31.
2 1. Cor. xvi, 14.

Similia de aliis virtutibus, supra memoratis, dici possunt. Et primo quidem de *gratitudine*: quae nempe, etiamsi ad spem reducatur a Theologis, utpote cuius obiectum formale est bonitas Dei erga nos; est tamen spe, quae futurum respicit, excellentior, et ipsos charitatis actus reddit faciliores.

De *spe* vero, quae daemonis tentationes refellit: quas omnes vaferrimus tentator exstruit ex falsa commodi nostri specie et diffidentia in Deo.

De *recursu* tandem ad Deum: qui si humilitate, reverentia et fiducia comitetur, ut supponimus, quamvis brevissimis dumtaxat precibus fiat, numquam fructu carebit.

At diutius in his immorari non licet. Neque enim harum rerum uberiores tractatus scribendos suscepimus, sed dumtaxat commentandum S. Ignatii librum, ut ostendamus, idque obiter ac brevissime, quam multa documenta in ipso includantur.

Vt ergo a proposito non discedamus, sit ista conclusio postrema: quum S. Ignatius omnia, quae in libro Exercitiorum scripsit, ad obtinendam christianam perfectionem dirigere statuisset, (neque enim ad animae salutem adipiscendam quidquam efficacius adiuvat, quam ipsi perfectioni efficaciter incumbere;) quumque sine continua Dei praesentia, iuxta solidam, quam hactenus dedimus explicationem, impossibilis moraliter evadat ipsa christiana perfectio: Christus eiusque Mater beatissima S. Ignatio suggesserunt, ut continuam illam Dei praesentiam constitueret omnium praecipuum finem Exercitiorum.

CAPVT VI

TRIA CONSECTARIA QVAE EX PRAEDICTIS ERVVNTVR

Explicati iam breviter sunt praecipui tres fines Exercitiorum, nempe, quatuor affectuum genera, methodus christianae vitae, et continua Dei praesentia. Reliquum est nunc, ut tria consectaria, quae ex eo, quod illa tria sint praecipui Exercitiorum fines, consequuntur, paucis explicemus, totamque hanc tractationem tandem absolvamus.

Primvm consectarium est, prae oculis nobis semper huiusmodi fines habendos esse, et magni faciendos; totumque exercitiorum fructum inde esse dimetiendum. Ad hoc tendit praxis illa, quam tradidimus, coniungendi methodum Exercitiorum Sti. Ignatii cum triplici via.

Huc spectat praestantissimum Bti. Patris documentum, saepe in Constitutionibus expressum, nempe, ad perfectionem adipiscendam, etiamsi Deo gratias agere debeamus, si careamus tentationibus; sensibiles autem consolationes, quas ipse *spirituales visitationes* vocat, experiamur: non tamen huic rei nimis esse insistendum: hoc enim aliis quidem expedit, aliis vero non; neque a nostro arbitrio pendet. Illud vero nobis enitendum est, ut primo, solide quatuor illis affectuum generibus corroboremur, et omnibus inordinatis affectionibus, quas in nobis sentiamus, per interiorem mortificationem resistamus; secundo, ut semel statutam christianae vitae methodum constantes servemus: tertio denique, ut Deum continuo praesentem geramus.

Etenim haec tria certum spiritualem nostrum profectum constituunt, fundantque in *veris* virtutibus,

quae nempe inimici illusionibus non sunt obnoxiae, et *solidis*, ut ipse S. Pater vocat, id est, quae neque adversis, neque prosperis, labefactantur. Et id quidem, divina gratia opitulante, semper in nostra potestate est. Quare S. Ignatius in Const. P. III. c. 1. §. 10: «Omnes... inquit, ad veras solidasque virtutes consequendas insistant, sive plures adsint visitationes spirituales, sive pauciores: curent vero semper in via divini servitii progressum facere.»

Secvndvm consectarium pertinet ad eos, qui se exercent, pro ipso tempore exercitiorum: nempe horis illis, in quibus mentali orationi vacant, non modo insistendum esse affectibus propriis illius hebdomadae, et illius exercitii, in quibus versantur, tamquam parti, quae primo illorum trium finium respondent; sed praeterea inde iam ab initio habendos prae oculis esse duos alios fines, methodum christianae vitae, inquam, et continuam Dei praesentiam, licet id expressis verbis S. Ignatius non dicat: ac proinde quatenus patitur materia, quam meditantur, proposita ad duos illos fines pertinentia, concipiant.

Neque vero proposita, quae idonea videntur ad christianae vitae methodum, differenda sunt usque ad vitae reformationem in secunda hebdomada; neque usque ad contemplationem ad amorem obtinendum, (quae habetur in hebdomada quarta,) illa, quae conferre censeantur ad continuam Dei praesentiam. Quamvis enim B. Pater in his duobus exercitiis, tamquam in aptiori loco, de methodo vitae christianae instituenda, et de continua Dei praesentia consequenda, summa arte summaque prudentia admonet; supponit tamen hanc curam iam antea fuisse habitam. Ratio est, quia dupli-

cem illum finem proponit S. Pater, tamquam finem omnium Exercitiorum, non eos dividendo, sicut dividit hebdomadas, sed quadam magis generali ratione.

Tertium consectarium spectat ad Instructorem; qui meminisse debet, varias esse tradendorum Exercitiorum rationes, iuxta variam eorum, qui accipiunt, dispositionem et capacitatem, ut inferius dicemus. Semper tamen ita sunt tradenda, ut ad illum triplicem finem consequendum, cuius quidem nemo non est suo modo capax, dirigantur. Secus enim, traderet fortasse Exercitia, non vero Exercitia Sti. Ignatii, quorum differentia essentialis est, ut ad triplicem illum finem ordinentur, ut liquet ex definitione, qua B. Pater sua Exercitia describit, in verbis quae hactenus commentati sumus: «Quilibet modus praeparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas, etc.»

Quamobrem in duabus illis adhortationibus, quae ad eos, qui exercitiis vacant, haberi solent, altera sub ipso Exercitiorum initio, altera immediate post finem, triplex hic finis sedulo commendandus est, et inter ipsorum puncta proponenda, saepius in memoriam revocandus.

SECTIO VI

DE ARTE TRADENDI PVNCTA

CAPVT I

IN TRADENDIS PVNCTIS SERVANDVM ESSE MODVM ET ORDINEM

Postquam in tota prima Adnotatione docuit S. Ignatius quid sint sua Spiritualia Exercitia; in secunda explicat qua arte sint tradenda puncta, seu ipsa Exercitia, eis qui se exercent, proponenda.

Notandum porro est, nomen *punctum* triplici potissimum sensu usurpari a S. Ignatio:

Primo, pro parte alicuius exercitii seu operationis spiritualis: ita in prima hebdomada dicitur examen generale continere *quinque puncta;*

Secundo, pro parte alicuius documenti, quod traditur: quo sensu dicit B. Pater in secunda hebdomada, documentum circa ea, de quibus facienda est electio, continere *quatuor puncta;*

Tertio, loquendo de oratione mentali, dicuntur *puncta*, illae orationis partes, quae separatae proponuntur, constantque singulae fere ex consideratione, ponderatione et affectibus. Hoc postremo sensu puncta nunc sumimus.

Ars tradendi huiusmodi puncta est quum difficillima, tum maximi momenti: quia non parum pendet ab ea mentalis oratio: quare operae pretium erit, in ea explicanda aliquandiu immorari. Beatique Patris verba sedulo perpendere.

Docet igitur in primis huius Adnotationis secundae verbis, puncta tradenda esse cum *modo* et *ordine*, nempe cum modo, qui non careat ordine, seu debita rerum, quae proponuntur, distributione, aliis prius, aliis posterius collocatis: in eo enim consistit ordo.

Vt autem huiusmodi *modus* et *ordo* ad mentem Sti. Ignatii melius explicetur, distinguenda sunt tria actuum genera, quibus constat mentalis illa oratio *meditationis* seu *communis*, ut supra eam vocavimus, et diximus esse caeterarum fundamentum, et necessariam. Ex qua actuum distinctione magis patebit doctrina Bti. Patris de hac oratione mentali. Porro actus illi pertinent alii ad memoriam, alii ad intellectum, alii ad voluntatem.

Memoriam hic ab intellectu distinguimus, quamvis non sit nisi ipse intellectus, quatenus cognoscit ea, quae aliquo modo sunt praeterita; idque ut communem sequamur loquendi modum (ut etiam B. Pater est sequutus,) quo dicimus animae potentias esse tres: memoriam, intellectum, et voluntatem.

Actibus igitur memoriae revocamus ad mentem, et attente consideramus, veritatem aliquam iam cognitam, ac proinde aliquo modo praeteritam, quam meditari volumus: hic actus vocatur *consideratio*.—Actibus intellectus discurrimus ipso intellectu, et alia ex aliis deducimus, id est, ex aliqua veritate inferimus nonnulla, quae ad spiritualem nostrum profectum conferunt: qui actus vocantur *ponderatio*.—Denique actibus voluntatis ea volumus, aut nolumus, quae considerata et ponderata novimus esse Dei voluntatem, ut velimus, aut nolimus; id dicitur *affectuum motio*.

Huiusmodi actuum distinctionem, ordinem, aut se-

riem, quibus mentalis oratio perficitur, innuit Psalmus CXVIII, 15, 16, illis verbis: «In mandatis tuis exercebor; et considerabo vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor: non obliviscar sermones tuos.» *Considerabo,* inquit, id est, in memoriam revocabo, *vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor,* nempe, tuas iustificationes ponderabo: *non obliviscar*, videlicet in meis affectibus, *iustificationes tuas.*

CAPVT II

PRAEDICTVM ACTVVM ORDINEM AC DISTINCTIONEM FVNDARI TVM IN IPSA HOMINIS NATVRA, TVM IN NATVRA MENTALIS ORATIONIS

Ista actuum distinctio, eorumque ordo fundatur in ipsa natura et hominis et mentalis orationis. In hominis quidem natura: homo enim est rationalis ac discursivus, et in ratiocinando seu discurrendo limitatus ac tardus; quare necesse est, ut prius consideret vel in memoriam revocet ea, in quibus discurrere vult, vel quae cupit ponderare; ab illo enim imperfectiori actu ad hunc, qui perfectior est, paulatim disponitur. Eodem modo procedendum ei est in mentali oratione, considerando prius, et postea ponderando ea, quae meditatur.

In natura vero mentalis orationis: ne videlicet affectus, qui sunt pars eius praecipua, sint debiles, sed potius solidi ac robusti, utpote concepti a voluntate illustrata non qualibet cognitione, sed plena ac firma, qualis est discursus seu ponderatio, quam quidem consideratio praecesserit. Inde erumpunt affectus illi intensissimi vehementissimique, de quibus in Psalmo

XXXVIII. 4. dicitur: «In meditatione mea exardescet ignis,» id est, concepti affectus vi meditationis seu ponderationis erunt ignis ardens.

Ex quibus infertur, huiusmodi adeo utilem orationem, saltem eam, quam *simplicem* appellavimus, omnibus esse facillimam, neque posse quemquam ab ea habenda iure excusari: actus enim illi, hoc modo distincti atque ordinati, consideratio nempe, ponderatio, affectuum motio, sunt homini naturales, et volenti facillimi, imo eiusmodi, qui vel ab ipsis rudioribus saepissime exerceantur in temporalibus negotiis, ut in emptionibus ac venditionibus, in agrorum cultura, in apparandis cibis, quinimo in voluptatibus aucupandis. Primo enim, rem attente considerant; deinde, de iis discurrunt; tandem, agendum vel omittendum deliniunt. Eadem in spiritualibus negotiis faciant, et habebunt mentalem orationem, et quidem utilissimam.

Huiusmodi profecto orationi vacandum omnibus quotidie per aliquod temporis spatium esset, praeter tempus orationi vocali destinatum. Saepe enim in Scripturis et a S. Patribus commendatur: omnibus quidem ad obtinendam proprii status perfectionem est utilissima: eis vero, qui negotiis saecularibus, periculorum plenis, implicantur, ad aeternam animae salutem necessaria. Neque deterrere nos debet frequens illa animi evagatio, quam pati solemus, quin animadvertamus: nam praeterquam quod vel ipsi viri sanctitate conspicui, illam saepe experiuntur; remedium in promptu est: simul atque agnoscamus vagari animum, ad illos actus revertamur, ut facimus in temporalibus negotiis: nostram vero orationem et acceptabit Deus, et fructibus abundare faciet.

Orationis utilitatem ac necessitatem supponit S. Ignatius in toto Exercitiorum libro, eamque proinde magni facit; Instructoribus tamen explanandas commisit, quia attemperandae sunt eorum, qui se exercent, particulari conditioni.

Doctrina vero de distinctione, ordine ac serie actuum, quos triplex animae potentia in mentali oratione exercet, in quibus consistit ordo ille ac modus tradendi puncta ad mentem S. Ignatii, tota est Bti. Patris, edocti videlicet a Christo eiusque Matre beatissima, a quibus accepit et rem et voces, breves quidem captuque faciles, ita ut ab omnibus intelligi possint, et omnes sine illusionum periculo in Exercitiis hac doctrina dirigantur. Quare iam in primo exercitio primae hebdomadae hanc posuit inscriptionem: «Primum exercitium est meditatio [facienda] per tres potentias [animae.]» Et in singulis eius punctis, ut consideranti patebit, triplex illud actuum genus distinguitur: memoriae, intellectus, voluntatis. Docent autem communiter ii, qui de Exercitiis S. Patris scripserunt, primum hoc exercitium distinctius fusiusque a Sancto perscriptum, quasi caeterorum omnium formam et exemplar, vocaturque in Directorio «Omnium exercitiorum via.» (Cap. 14.)

Dicimus ergo, ut ab Instructore, aut a quovis alio, exercitii vel meditationis puncta, cum modo et ordine ad mentem S. Ignatii, proponantur, sequendum esse in tradendis punctis ordinem illum triplicis actuum generis, quem diximus; ac proinde proponenda esse puncta considerationi, ponderationi, motioni affectuum. Haec est enim mens Bti. Patris: haec est facilis ac certa meditandi ratio.

Ne vero ex ipsis vocibus difficultas oriatur, notandum est, meditationem et ponderationem, stricte loquendo, esse unum idemque: in utraque enim reperitur varietas illa ac strepitus discursuum, qui meditationem a contemplatione secernit, ut supra docuimus: itaque meditatio seu ponderatio est una dumtaxat ex partibus orationis, certe valde praecipua, quia fundat affectus. Verum usus, penes quem arbitrium est, et ius, et norma loquendi, nomen *Meditatio*, non vero *Ponderatio* extendit ad complexum actuum omnium, quibus constat oratio mentalis: dicimus enim *Meditatio de fine ultimo hominis*, *Meditatio de Christi Nativitate*, et huiusmodi.

CAPVT III

DE ALIIS SIGNIFICATIONIBVS ILLORVM VERBORVM *MODVS* AC *ORDO*

Praeter explicatam verborum *modus* ac *ordo* significationem, duas alias illae voces continent. Adeo enim erat Ignatio gratus ordo, adeo ei fuerat a Christo eiusque Matre beatissima commendatus, ut omnia accurate ordinanda censeret, quo fidelius homo Divinae Providentiae cooperaretur.

Aliud ergo, quod nomine *ordo* significatur, est tum ipsa puncta inter se, tum veritates, quae in singulis punctis continentur, ita ordinandas ac distribuendas esse, ut ab iis initium ducatur, quae et faciliora in se sunt et aliorum tamquam fundamentum; ab iis vero ad alia, quae ex ipsis fluunt, procedatur. Placet enim homini pulchritudo atque apta rerum dispositio; et ad animi perfectionem obtinendam confert, qui profecto

et memoria tenacius conservat, et intellectu facilius haurit, ea, quae sibi ordinata proponuntur.

Praeterea, voce illa *modus*, quae saepe significat *mensuram*, admonemur, ne exercitium vel meditatio in tam pauca puncta distribuatur, ut non sufficiant ei, qui audit, aut legit: neque in tam multa, ut ab eodem retineri nequeant; sed ea mensura ac numero, quem prudentia dictabit.

Cur vero S. Ignatius modum et ordinem tenendum praecipit, non modo ad meditandum, verum etiam ad contemplandum? Dicit enim: «Qui tradit alteri modum et ordinem ad meditandum vel contemplandum.» Causa est, quia, ut iam supra diximus, etiamsi ad mentalem orationem accedamus sperantes fore, ut Deus ad contemplationem nos evehat, et cum animo eius procurandae; semper tamen, quantum in nobis est, paratos ad mentalem meditationis orationem accedere oportet, et ab ea exordiri, ut saltem eam nos habituros esse confidamus. Quare semper puncta aut audienda, aut legenda, aut mente sunt proponenda, cum ea distinctione atque triplicis actuum generis ordine, quem diximus.

Confirmatur id ex verbis, quae in eadem secunda Adnotatione inferius habentur: «Is qui contemplatur,... discurrendo ac ratiocinando, etc.» Qui nempe fieri potest, ut is, qui contemplatur, discurrere ac ratiocinari queat, quum simplicitas et unio cognitionis, quae contemplationem efficit, discursum omnem excludat? Admonemur videlicet hic, contingere posse, quod saepe contingit, ut ei, qui contemplatur, evanescat contemplatio, ante quam tempus, orationi mentali praestitutum, finiatur: ne vero residuum illud tempus frustra

teratur, redeundum est ad mentalem orationem meditationis, et ponderationi praesertim insistendum: ac proinde, discurrendum ac ratiocinandum, (quod proprie loquendo exprimit pleniorem discursum), ut nempe optimum orationis fructum, affectuum motionem, consequamur.

CAPVT IV

DE FIDELITATE AB INSTRVCTORE SERVANDA IN TRADENDIS PVNCTIS CONSIDERATIONI

Ex dictis constat, praecipuum in modo et ordine tradendi puncta, esse, ut proponantur ab Instructore apta ad considerationem, ad ponderationem, ad motionem affectuum. In reliqua secunda Adnotatione docet S. Ignatius rationem proponendi apposite ad hunc triplicem actum.

Quod pertinet ad considerationem, praecipit B. Pater, ut «narretur fideliter historia.» *Narretur*, id est, simplici stilo exponatur, ut fieri solet in narrationibus. *Historia*, id est, materia considerationis, quae plerumque quidem est historia aliqua; potest vero esse quaevis alia veritas, apta ad mentalem orationem. Addit narrandam esse *fideliter*, quo in adverbio complectitur totam artem tradendi puncta apposite ad primam operationem, nempe, ad *considerationem*. Huiusmodi autem fidelitas exigit, ut in materia seu historia proponenda spectentur haec tria: primum, veritas firma; secundum, prudens electio: tertium, copia moderata. Singula paucis absolvemus.

Primum igitur et praecipuum est, ut *firma* sit *veritas* considerationi proponenda. Deus enim, qui in mentali

oratione alloquendus est, diligit summopere veritatem: exigit ergo reverentia tanto Domino debita, ut nonnisi veritas coram eo tractetur. Praeterea, si is, qui exercetur, falsum reputet id, quod considerat, quomodo postea in ponderatione discursus componet, quibus plene convincatur, et satis solidos ad affectus ciendos? Hinc S. Ignatius eiusmodi veritatem vocat *fundamentum*. «Is, ait, qui contemplatur, sumens verum fundamentum historiae, etc.,» (ibid.)

Necesse igitur est, ut veritas, quae consideranda proponitur, communiter aut ad fidem pertineat, aut in universa Ecclesia sit recepta. Quoniam vero Deus, sese humanae imbecillitati attemperans, vult ut etiam aliqua mysteriorum minus certa adiuncta, Sanctorum martyria et vitas, et huiusmodi alia meditemur; tunc saltem curandum est, ut ea sint gravia, solide fundata, et nullo modo contraria probabili eius, qui se exercet, sententiae; imo neque eiusdem praeiudiciis, quamtumvis falsis, modo ne sint ei noxia: quae tamen falsa praeiudicia suaviter ei essent diluenda.

Neque materiae electio difficultatem potest generare, modo adsit prudentia. Pleni sunt libri Sacrae Scripturae, plena scripta Sanctorum Patrum, plena piorum scriptorum opera, veritatum earum, quae ad meditationem proponi solent.

Deinde *prudens electio* postulat, ut ex materia, quae proponenda est, illae veritates seligantur, quae maiori vi polleant, et aptiores sint ad finem exercitii consequendum, iuxta hebdomadam, et ipsius hebdomadae partem, ad quam pertinet illud exercitium. Ad id autem efficiendum, requiritur, ut bene intelligatur methodus et artificium Exercitiorum, praesertim quadru-

plex illud affectuum genus, quod quatuòr principales Exercitiorum fines complectitur, cuique hebdomadae respondentes: imo nonnullas eorum generum species, id est, particulares fines eorum exercitiorum, quae in quaque hebdomada distincto loco reperiuntur. In materia enim cuiusque exercitii, puta, de peccatis, de morte, etc., plures veritates continentur, neque eadem virtute atque efficacia praeditae, neque ad particulares illos fines obtinendos pari modo idoneae.

Postulat denique *copia moderata*, ut veritates, quae proponuntur, neque tot sint numero, ut memoria obruatur; neque tam paucae, ut earum ponderatio menti illius, qui exercetur, facilis non reddatur. Evenire namque poterit, ut una ei ponderatio non sufficiat, sed plures opus sint ad ciendos affectus per integram meditationis horam.

Tria haec continentur in adverbio illo *fideliter*. Fidelitas enim est virtus, qua promissa adimplemus. Iam vero haec tria tacite promittit ei, qui exercitiis vacat, Instructor, vel quicumque Instructoris munere fungitur in tradendis punctis. Sine primo enim, eum deciperet: sine secundo autem, ad debitum finem non adduceret: sine tertio demum, aut impediret, aut parum certe iuvaret. Vnde patet, Instructoris munus magnam postulare prudentiam, seu, ut rectius loquar, magno gratiae subsidio indigere. Oret igitur Deum cum humilitate ac fiducia: muniat se brevi oratione ante studium ac recogitationem punctorum: opem imploret Beatissimae Deiparae, speciali nempe hoc titulo, quod ipsa Filio sanctissimo, Ignatium regenti docentique in Exercitiis scribendis, cooperata fuerit.

Augetur porro difficultas orta ex prudentiae necessi-

tate, ex eo quod in illis tribus praestandis, opus est sese peculiari eorum, quibus traduntur puncta, dispositioni accommodare. Alii enim alia habent praeiudicia: alii aliis considerationibus moventur: alii plura, alii pauciora ferre possunt. Praeterea diversa prorsus ratione Religiosis viris, quam saecularibus, tradenda sunt, iuxta diversum proprii status finem. Vitanda tamen est nimia quaedam in tot personarum differentiis anxietas: neque enim ea omittenda sunt, quae exercitii cuiusque, veluti substantiam constituunt, solentque cuicumque statui convenire; et expedit, ut in iis bene omnes fundentur: neque tamen ita insistendum iis, quae propria sunt alicuius status, ut iustae offensionis detur causa ei, qui se exercet.

Quid vero agendum, quando pluribus, diversae dispositionis, adiunctorumque diversorum, puncta proponuntur? Imitetur Instructor sacros oratores, in attemperando sese communioribus dispositionibus, aliisque adiunctis, audientium.

Tandem quod pertinet ad copiam moderatam, censeo melius consultum iri eis, qui exercitiis vacant, si veritates considerandae copiosius proponantur, dummodo ordine illo, quem diximus, non careant. Monendi tamen erunt, ne ex propositis veritatibus alias sumant considerandas, praeter eas, quae ad optatum in mentali oratione finem, aptiores censeantur: reliquas vero sibi servent, vel ad ipsam mentalem orationem, si forte quae apparaverant, non sufficiant: vel in reliquam vitam, quando in aliquo eius tempore utiles esse contigerit: facilius enim tunc in memoriam revocabunt, si nunc in audiendis punctis attentius, ut fieri solet, didicerint, aut iam cognitas recoluerint.

CAPVT V

DE BREVITATE PVNCTORVM PONDERATIONI EXPONENDORVM

Admonet S. Ignatius Instructorem in hac secunda Adnotatione, eius muneris esse, puncta proponere «discurrendo solum per puncta cum brevi vel summaria declaratione.» Summa proprietate usurpat hic vocem hanc «discurrendo;» ut enim supra diximus, ponderatio fit discurrendo, seu unum ex alio inferendo. Neque heic commendata brevitas, opponitur copiae cum aliqua ubertate, quam nuper diximus: copia enim in proponendis iis, quae pertinent ad considerationem, nempe in *narrando*, praecipitur; brevitas autem in *discurrendo*, id est, in iis, quae ponderanda proponuntur. Quin, illa ipsa copia est causa cur prudenter moderata brevitas hic possit haberi: quamvis enim discursus ei, qui se exercet, obiter tantum propositi sint, id quod praeceptam nunc brevitatem constituit; tamen quoniam considerationi plures sunt propositae veritates, poterit ex aliqua earum aliquid inferre, et discursus plenus conficere.

Adverbium illud *solum*, a Sto. Patre adhibitum, afficit in primis ipsa puncta. Admonetur nempe Instructor, ne in aliena digrediatur, licet utilia sint: divertereturalioquin is, qui puncta audit. Afficit deinde ipsam brevem ac summariam declarationem, eamque efficacius commendat.

Notandum porro est, voces illas *brevi* et *summaria* non esse synonyma, seu eiusdem prorsus significationis, (a quibus verbis abhorret concisus et laconicus Sti. Ignatii stilus); sed τὸ *summaria* addit τῷ *brevi*, quod

plura contineat: quod enim unum est, summam conflare nequit. *Summaria* igitur erit declaratio, si in punctis ponderationi proponendis illationes *multae* quidem, sed *breviter* exponantur.

Huiusmodi etiam brevitatem exprimit vox *summaria*, sumpta tamquam synonyma vocis *brevis;* ideo utramque connectit B. Pater non particula copulativa *Et*, sed disiunctiva *Vel:* simulque commendat denuo brevitatem in proponendis punctis; eiusque rei causam per reliquam Adnotationem affert, fusius solito; ut vel inde intelligamus, quanti B. Pater fecerit hanc brevitatem. Sed de hoc infra commodius agemus.

Nunc illud sufficiat: optime intellexisse et in praxim duxisse hoc de summaria brevitate documentum, P. Ludovicum Palmensem in *Historia Christi patientis*, uno ex praestantissimis libris, qui hac de re conscripti sunt. In hac Historia, ut auctor in praefatione admonet, voluit puncta proponere pro mentali oratione, iuxta regulas Exercitiorum Sti. Ignatii, et eadem ipsa ratione proponit, quam nuper exposuimus. Considerationi enim uberem affert materiae copiam; in ponderationibus vero brevissimus est, easque obiter dumtaxat attingit. Nempe more illius, qui terebra lignum perforat, ut figendo clavo viam aperiat; P. Palmensis, ut fatetur, viam, ei qui meditatur, aperit, ut ipse discurrat. Foramen vero, ut similitudini insistamus, angustum aperit, et parum profundum; ut ab eo qui meditatur, crebris intellectus conatibus, tamquam novis ictibus, clavus penitus infigatur, et firmior a ligno retineatur: quam ipsam rationem affert S. Pater; ut postea videbimus.

Verum in hac re, attendenda summopere est varia

eorum, qui exercentur, dispositio, tum in eorum ingenio, tum in usu, quem habeant, meditandi. Quare in Directorio (cap. VIII.) iuxta hanc Adnotationem commendatur brevitas his verbis: «In proponendis punctis meditationum, non oportebit ea valde exaggerare, aut etiam ita enucleare, ut qui meditatur, ipse nihil novi per se invenire possit;» admonemur tamen, posse utique puncta magis enucleari, si postulet illius dispositio.

Praeterea, profunditas ipsa et natura ponderationum, earum praesertim, quae magni momenti sunt, et veluti aliorum fundamentum, latiorem non raro exigunt explanationem. Semper tamen ei, qui meditatur, aliquid reliquendum est, quod ipse per se ad plenum discursum deducat; seu, ut verbis utar Patris Ludovici Palmensis, semper est eis relinquendum, ut clavo proprii discursus nonnihil in animi ligno perforent, quo clavum ipsum, discursum, inquam, et tenacius prehendant, et firmius retineant.

In hoc enim, praeter alia, qui puncta proponit a concionatore differt. Concionatorem enim, quia ignorat utrum auditores ea, quae audiunt, meditando postea recogitabunt, fusiorem in ponderationibus esse oportet.

Maior adhuc, quam in ponderationibus, requiritur brevitas, dum affectus excitandi proponuntur; quippe qui, praeterquam quod a pluribus adiunctis pendent, penitius ac sponte ex animo erumpere debent. Quam quidem maiorem brevitatem S. Ignatius silendo innuere videtur: nihil enim loquitur de punctorum propositione ad affectus excitandos. Supponit sine dubio aliquam affectuum mentionem faciendam, quum ipsi

pars sint mentalis orationis praecipua, ac proinde ei, qui meditatur, maxime commendandi.

Ex hoc Bti. Patris silentio, et ex his, quae ipse in suo libro agitat, censeo affectus aliquanto apertius proponendos: tum quia minus innotescit quinam excitandi sint, et aliunde ad finem exercitii obtinendum summopere conferunt; tum quia ipsa eorum, qui puncta audiunt, dispositio saepe id postulabit. Plerumque tamen satis erit, si Instructor sub fine cuiusque puncti nominet aut indicet aliquos affectus; nonnumquam autem sufficiet, admonere de affectibus ciendis, qui materiae respondeant.

Aliter profecto agendum est, quando praeter propositionem eorum, quae pertinent ad considerationem, ponderationem, et motionem affectuum, traditur etiam norma colloquiorum; qua in re maxime eminet Pater Ludovicus Pontanus in Libro Meditationum, quem scripsit, summe quidem laudando, semperque prae manibus habendo. Tunc enim, copiosior debet esse propositio ad affectus ciendos, quia ad eos colloquia diriguntur.

Tempore autem exercitiorum, quando qui meditantur fervidiores esse solent, minor affectuum cura habenda est Instructori, illorumque fervori remitti possunt affectus. Nisi forte publice tradantur exercitia, iisque certe hominibus, qui maiori indigeant directione, ut infra dicemus, agentes de diversa ratione tradendorum ad mentem Sti. Patris exercitiorum.

Eodem exercitiorum tempore, ut accuratius doceantur rationem meditandi extra exercitia servandam, Instructor ante quam puncta proponere incipiat, admoneat de oratione praeparatoria, assignet compositio-

nem loci, et petitionem: post orationem praeparatoriam narret historiam, si postulet exercitium: sub fine tandem innuat colloquium. Quae omnia, licet in hac secunda Adnotatione non exprimat S. Ignatius, supponit tamen: eodem enim ordine in particularibus exercitiis ab ipso traduntur.

CAPVT VI

DE RATIOCINATIONE ATQVE DIVINA ILLVSTRATIONE, QVIBVS FIT PONDERATIO

Ratiocinatio idem est, ac plenus discursus, seu syllogismus. Huiusmodi discursibus plenis oportet, ut abundet ponderatio, quo firmior evadat. Non tamen elaborandi sunt illo artificio, quo solent Scholae in suis argumentationibus; sed tantum adhibendi ad penitiorem veritatis cognitionem. Quoniam vero optat S. Ignatius, ut rem funditus quisque pro suo ingenio introspiciat, ideo usurpat verba illa *ratiocinatio*, *ratiocinari*, quae saepius pro *discursus* et *discurrere* simpliciter sumuntur, uti et nos nunc sumimus.

Illustrare vero significat, *lumen infundere*.

B. Pater in hac secunda Adnotatione *propriam ratiocinationem* opponit *illustrationi divinae;* neque sane perinde quasi huiusmodi ratiocinatio seu discursus semper sit naturalis, et non supernaturale gratiae auxilium: est enim saepe supernaturalis, maxime in mentali oratione, in qua multum abundat auxilium gratiae; supernaturalique hac ratiocinatione illustrati atque elevati, affectus elicimus supernaturales, aeternaeque vitae meritorios.

Ita procul dubio sentit B. Pater: quia iuxta Scriptu-

ras, seu potius, iuxta ea quae a Christo eiusque Matre beatissima in scribendis Exercitiis docebatur, supponit Deum saepissime auxilia gratiae conferre; adeo ut in septima e primis regulis, quas tradit ad spiritus dignoscendos, doceat, homini quantumvis desolatione oppresso, auxilium divinum «semper manere, licet aperte illud non sentiat [sibi adesse].»

Illa igitur ratiocinatio significat discursum, qui videlicet ex parte luminis, quo veritatem cognoscimus, similis est ratiocinationibus seu discursibus effectis ex sola naturali et propria intellectus nostri virtute; licet iis, ex qua parte est supernaturalis, multum excellat. Et hoc dumtaxat sensu vocat *propriam* illam ratiocinationem, ac divinae illustrationi opponit. Haec enim non modo supernaturalis est, verum etiam efficit, ut uberiori lumine veritatem cognoscamus, quam si cognoscemus per ratiocinationes seu discursus ex solis naturalibus viribus, nostri intellectus propriis, confectos.

Exemplo res patebit. Pater, qui filios diligit, et pro eorum sustentatione laborat, dicitur facere ea, quae patris sunt. Qua quidem loquutione nolumus profecto excludere amorem, laboremque exercitum actibus supernaturalibus; si enim pius sit pater, sine dubio actibus etiam supernaturalibus amabit filios, et pro eis laborabit; illud tantum significamus, actus illos, secluso respectu supernaturalitatis, similes esse actibus, quos pater quilibet elicere solet ex viribus naturalibus, et voluntatis propriis.

Vox igitur *propria*, in verbis, quae commentamur, non stricte sumitur; constat enim nihil supernaturale, stricte loquendo, esse hominis proprium; sed latius, iuxta explicatam similitudinem.

Haec adeo profunda docet Ignatius plano suo usitatoque sermone. Eaque docet, non modo quia conferunt ad universalitatem doctrinae de punctis proponendis; sed etiam ut nos mentalem orationem in pretio habeamus. Ostendit enim, orantes illustrari a Deo tum lumine auxiliantis gratiae, tum saepe hac alia, quam diximus, illustratione, supernaturali etiam et efficacissima. Vtramque significat Scriptura illis verbis: «Accedite ad eum, et illuminamini [1].»

CAPVT VII

DE VTILITATE PROPRII DISCVRSVS EXERCENDI IN PONDERATIONE

S. Ignatius causam affert, in hac secunda Adnotatione, brevitatis in proponendis punctis, quae ponderanda sunt, quia «Maioris est gustus, inquit, ac fructus spiritualis, quam si ille qui tradit exercitia, multum declarasset ac dilatasset sensum historiae,» nempe, proprios discursus proposuisset: non enim dicit: «si multum declarasset ac dilatasset historiam,» nempe, historicam dumtaxat veritatem: haec enim utpote considerationi proponenda, admittit utique copiam moderatam, ut supra ostendimus; sed dicit: «sensum historiae,» id est, ea, quae ex historia inferuntur, seu illationes, quae, quoniam ad ponderationem pertinent, breves esse debent, ut diximus paulo superius, Cap. V.

Ratio huius brevitatis est maior ille gustus, quem asserit S. Ignatius, et omnes experiuntur. Causa vero maioris huius gustus non est profecto, ut nonnulli ar-

1 Ps. xxxiii. 6.

bitrati sunt, proprius ille amor, quo quis proprias diligit cogitationes. Plures enim amorem hunc proprium iam ex virtute moderantur, eumque cavent in actibus potissimum, quibus mentalis oratio exercetur. Non igitur ea est tanti gustus causa: ille namque amor et inordinatus esset, et duceret ad iudicii tenacitatem.

Vera huius rei causa explicat cur aliqui, scientes loquentesque res optimas et valde spirituales, quas audierunt vel legerunt; eas tamen penitius non callent, et parum spirituales fructus ex earum notitia reportant. Discursus enim, quos ab aliis audimus, etiamsi optimi sint, et a nobis intelligantur; saepe tamen neque a nostro intellectu efficiuntur, neque ab eo in memoriam transeunt, sive quod illorum vim non capiamus, sive quod eis conficiendis non incubuerimus. Eos igitur tamquam obiectum dumtaxat respicimus, non vero in ipsis elaboramus: habere enim aliquid pro obiecto est illud nostris actibus attingere. E contrario, proprios discursus nosmetipsi perficimus: nam ideo dicuntur proprii, id est, a nobismetipsis perfecti. Inde est, quod maiori illo lumine offunditur mens, (id enim proprium est intellectualis eius operationis, quam vocamus discursum:) ex quo maiori lumine maior ille gustus oritur, quem dicebamus. Ex utroque autem expedimur, atque impellimur ad bene operandum; in quo consistit maior fructus spiritualis, qui proditur per bonos affectus in ipsa mentali oratione, et per bonos effectus in exsequutione.

Ita explicanda est causa huius maioris gustus, maiorisque profectus spiritualis, a Sto. Patre allata. Eamdem attingit ipse in fine huius secundae Adnotationis: «Non enim. ait, abundantia scientiae satiat animam,

eique satisfacit, sed sentire ac gustare res interne,» ut consideranti patet. Vbi nomine *scientia* intelligit *habere pro obiecto:* id enim dicimur *scire* vel *cognoscere,* quod obiicitur intellectui, ea nempe ratione, qua obiicitur. Vocem autem illam *sentire,* quod quidem est aliquid magis immediatum et intimum, sumit pro *efficere* seu *effingere.*

Quapropter ut discursus, quos ab aliis acceperimus, sive audiendo, sive legendo, nos moveant; opus est, ut eosdem nostro intellectu serio effingamus, iis insistendo, donec totam motivorum vim penitus hauriamus. Quod maxime faciendum est in oratione mentali, quando ponderamus, si forte ad ipsam *ponderationem* discursus, iam integre perfecti, nobis propositi fuissent.

CAPVT VIII

DE ALIIS, QVAE AB INSTRVCTORE PRAESTANDA SVNT IN PVNCTORVM EXPLANATIONE

Ex modo, quo S. Ignatius in tota hac secunda Adnotatione loquitur, infertur esse eius mentem, ut puncta *viva voce* ab Instructore proponantur: et hoc quidem, etiamsi postea scripta tradantur, ut semper fieri consuevit, quo melius recoli possint. Praestat autem viva voce simul proponi: quia ex se viva vox efficacior est. Accedit sollemnitas actus. Haec sane duo acrius permovent; et animus, ex auditione dispositus, vividius percellitur, quando postea leguntur puncta. Nullibi tamen S. Pater expresse tradit, viva voce esse proponenda Exercitia; quo satis indicare videtur, posse nonnumquam, si postulet conditio eius, qui exercitia facit, ei scripta tradi. Tunc vero oportet, ut attente legat, et

saltem bis, ut eorum sensum bene calleat: deinde curandum est, ut liber eo modo proponat, quem docet S. Ignatius.

Multiplex est ratio proponendi puncta viva voce. P. Ludovicus Pontanus traditur, ea efficacia et vi puncta proponere solitus, ut ipsi aulae parietes tremere viderentur. Aliis placet modus suavis ac temperatus, maxime si paucioribus proponantur. Plerumque id pendet ex adiunctis, tum eius, qui proponit, tum eorum, qui audiunt: quare nihil certum definiri potest.

Illud tamen prae oculis Instructori habendum est, punctorum propositionem minorem auctoritatem postulare, quam postulant conciones; ac proinde temperatior erit ipsa pronuntiandi ratio. Tonus quidem gravis sit, aliquando etiam submissus, at semper spiritu plenus. Multum ad id iuvabit, si antequam proponat, puncta bene perspecta habeat; si memoria versaverit; si iamiam propositurus, ea parumper intellectu meditetur, ut suadet Directorium. Cap. V.

Porro nihil maius curandum est Instructori, quam perspicuitas et urbana quaedam comitas. Nihil profecto ab hoc numere magis alienum, quam audientes reprehendere, etiamsi generali quadam obiurgatione id fiat: particularem pungere, licet remote, non est ferendum. Vitabuntur haec, si quoties vitium aliquod exprobrandum sit, sermonem ad se ipse, sine affectatione tamen, et cum prudentia, convertat. Observantia haec et reverentia erga eos, qui puncta audiunt, requiritur ab ipso Instructoris officio. Quamvis enim sit quodammodo pater, ac proinde paternam auctoritatem servare atque exercere debeat; aliunde tamen esse oportet officiosus frater et humilis servus: ut patet in

documentis a Sto. Ignatio traditis, quae omnia suavitatem modestiamque redolent. In cuius rei confirmationem, legantur, quae monet Directorium, (Cap. VII. n. 8.) «In primis autem caveat Instructor, ne umquam det ei (qui exercitiis vacat) occasionem suspicandi, quod minus bonam opinionem de se habeat.»

Hactenus de arte tradendorum punctorum, quam in secunda Adnotatione docet Ignatius. Lectores, ac tanti Patris cultores, rogamus, ut recogitent quot et quanta sit tam brevi sermone complexus, quam sint plena prudentiae, quam profunda. Quae quidem in toto libello, in igenua ipsa stili simplicitate, adeo mirari licet, ut caelestis inspirationis speciem prae se ferre agnoscatur. Qui enim, quaeso, fieri iuxta naturae vires potuit, ut, non dicam illitteratus homo, sed ne omni quidem litterarum genere exercitatissimus, ita perscripserit? Edoctus videlicet Ignatius fuerat a Matre Illius, qui totius sapientiae, eloquentiaeque totius fons est et origo, artem tradendorum punctorum, quam non immerito dixeris quamdam esse artis eloquentiae speciem.

CAPVT IX

DE MAIORI REVERENTIA ADHIBENDA, QVANDO CVM DEO VEL EIVS SANCTIS COLLOQVIMVR

Monet B. Pater in tertia Adnotatione maiorem exigi a nobis reverentiam, quando in oratione cum Deo vel eius Sanctis colloquimur.

Loqui cum aliquo est propria ei sensa aperire. Quoties igitur intima nostri animi Deo vel eius Sanctis dirigimus ac manifesta facimus, cum eis loquimur. Du-

pliciter id facimus in exercitiis: mente quidem, per mentalem orationem; voce vero, per vocalem. Vtraque oratio optima est, et in Ecclesia semper usurpata. Porro eo inter se distinguuntur, quod oratio vocalis actibus internis, quibus sane carere non potest, externas adiungit voces, quibus aequum est, ut aliquando Deum colamus; neque in illis actibus internis diu detinetur. Mentalis autem, etiamsi nonnumquam internos actus vocibus etiam comitatur, ut nempe acrius ferveat; at non semper: in illis vero diutius immoratur; quare vocali melior est. Ita solet harum orationum discrimen a Sanctis explicari.

Sciendum igitur est, non omnibus actibus, quos in singulis spiritualibus exercitiis, etiam orationis, elicimus, loqui nos cum Deo. Itaque quamvis *oratio* vulgo dicatur esse *loquutio cum Deo;* id tamen intelligendum est, vel de aliquibus eius actibus, vel, sensu minus proprio, sumendo *loquutionem cum Deo* pro *elevatione mentis ad Deum.*

Nam primo, solis actibus intellectus, sive in considerando, sive in ponderando, cum Deo non loquimur. Dirigere enim animi nostri manifestationem cum voluntate eam ad aliquem convertendi, (id quod potissimum requiritur ad loquendum,) ita proprium est voluntatis, eiusque actuum, ut intellectui competere nequeat. Praeterea, quia etiamsi plerisque voluntatis actibus cum Deo loquamur, ut evenit quando gratiam aliquam postulamus, aut alia quavis ratione ei nostri animi intima manifestamus; non tamen omnibus; puta, illis quibus, omissa directione ad Deum, proposita concipimus.

Dicimur autem aperire nos Deo intima animi, non

quod celare possimus; sed quod eorum divinam cognitionem ratam voluntate nostra habemus.

Monet igitur S. Pater in hac tertia Adnotatione, in actibus voluntatis, dum voce aut mente cum Domino Deo vel Sanctis eius colloquimur, maiorem exigi a nobis reverentiam. *Maiorem*, inquit: quia in aliis etiam actibus *magna* nobis habenda est; iam enim coram eo versamur, ut loquamur cum eo; *maior* autem in his, quando nempe non modo coram eo versamur, ut loquamur cum eo; sed reapse loquimur: quemadmodum maior reverentia exigitur ab eo, qui cum terreno rege loquitur, quam ab eo, qui versatur coram ipso, ut cum eo loquatur.

Quoniam vero Sanctis preces nostras patefacit Deus simul ac ipsas emittimus; ideo eorum etiam S. Ignatius meminit. Magna quidem reverentia cum eis loquendum nobis est; quia pleni sunt maiestate Dei, tum ex beatitudine, qua fruuntur, tum donis aliis a Deo acceptis. Maxime vero debetur huiusmodi reverentia Beatissimae Virgini Deiparae, quae longe inter alios sanctos excellit: ut enim ait Damascenus «Dei Matris et servorum Dei infinitum est discrimen [1].»

Animadverte, tertiam hanc Adnotationem tradi a Sto. Ignatio, ut disponat tum ad orationem praeparatoriam, et ad praeludium, in quo fit petitio; in his enim semper cum Deo loquimur; tum, et quidem specialius, ad colloquia; in quibus non modo cum Deo loquimur, sed magno etiam cum affectu, et nonnumquam cum familiaritate, cui cavendum est, ne in minorem reverentiam declinet.

1 Orat. I. De Virg.

Eadem Adnotatio, qua docemur actus interiores, in quibus praeter externas voces consistit oratio vocalis, est reprehensio quaedam suavis ac sine verborum strepitu (iuxta morem Sti. Ignatii in toto Exercitiorum libro), eorum, qui sine ulla fere attentione vocales orationes recitant, ac proinde sine ullo fructu, imo saepe cum aliqua culpa. Sed de hac attentione alibi agemus, quum modos orandi exponamus.

SECTIO VII

DE DVRATIONE EXERCITIORVM

CAPVT I

DE CAVSIS CVIVSQVE HEBDOMADAE PRODVCENDAE AVT CONTRAHENDAE

Docet S. Ignatius, in quarta Adnotatione, ea, quae pertinent ad durationem hebdomadarum, totorumque Exercitiorum. Qua de re optime, ut solet, Directorium (Cap. XI, n. 1) «Omnia haec Exercitia, ait, a B. P. N. Ignatio in quatuor hebdomadas distributa sunt. Quae quidem hebdomadae non tam numero dierum, quam materiae genere distinguuntur: et ideo non necesse est, ut septem, vel octo dierum circulus in singulis consumatur; sed sufficit, ut illi affectus vel fructus inveniantur, qui in unaquaque exquiruntur.» Hactenus Directorium. Vbi apparet, quid sibi velit loquutio illa B. Patris in hac Adnotatione: «ad inveniendum id, quod quaerunt,» nempe, quatuor illa affectuum genera, quae fines singularum hebdomadarum constituunt.

Itaque si Instructor, ad quem haec Adnotatio potissimum dirigitur, intellexerit eum, qui per spatium triginta dierum exercitiis vacat, adquisivisse genus affectuum alicuius hebdomadae proprium, ante expletos dies septem; septenarium hunc numerum contrahet. Quod si id in aliis quoque hebdomadis, eveniat, detinendus erit ille in quarta hebdomada, donec triginta dierum circu-

lus expleatur. E converso autem, si septimo die illud affectuum genus nondum invenerit; producendus erit numerus dierum; in sequentibus vero hebdomadis, paucioribus diebus exerceatur. In omnibus tamen aliquandiu exercendus; tum ut cuiusque affectuum generis practicam aliquam notitiam adquirat, tum ut rationem noverit, qua se per reliquam vitam gerere debeat.

At vero, quid requiri dicendum est, ut is, qui exercetur, genus illud affectuum, in singulis hebdomadis exquirendorum, censeatur ad mentem Sti. Ignatii invenisse? Quodnam huius adquisitionis signum? Tunc id prudenter iudicabimus, quando is, qui se exercet, non modo firmiter proposuerit affectus illos, quacumque possit ope, induere; verum iis etiam imbutus, ut ita loquar, iam nunc appareat; adeo ut ex eorum habitu, dominium in se quoddam ad ea, quandocumque opus fuerit, exercenda experiatur. Id enim significare videtur verbum ipsum *invenire*, quo utitur S. Ignatius. Invenire enim aliquid perfecte, (ut hic intelligitur), idem est ac illud ita consequi, ut ad finem, qui intenditur, sit *proprium* eius, qui invenerit. Versio vulgata utitur verbo *consequi*, quod idem significat.

Idipsum ostendit exemplum, quo hanc rem explicat B. Pater ibidem: affert enim genus affectuum, primae hebdomadae respondentium, illis verbis: «Contritionem, dolorem, lacrymas de peccatis suis.» Stilus ipse Sti. Ignatii, summe alioquin concisus, et a synonymis atque amplificationibus abstinens, quum hic conglobet et *contritionem*, et *dolorem*, et *lacrymas* de peccatis; profecto indicat propositum illud ac dominium, quod diximus.

Id autem sufficere, ut transitus in sequentem hebdo-

domadam fieri liceat; inde ostenditur, quod certe qui haec duo consequutus fuerit, iam invenisse, et sub sua potestate seu dominio habere dicendus est, genus affectuum, quos quaerebat; iam quantum in se est, solidum iecit fundamentum, ut in posterum, Deo favente, tollere possit male ordinatas affectiones, quas tollere exoptat.

Addit S. Ignatius «alios aliis esse diligentiores; alios etiam [aliis] magis agitari, aut probari, diversis spiritibus.» Huiusmodi quidem agitatio aut probatio quamquam in singulis hebdomadis accidere possit; frequentior tamen est in secunda. Ibi enim magna solent certamina experiri illi, qui Exercitiis vacant: incipiunt namque manus conserere cum novo et pertinaci hoste, qui vires adhuc integras servat, cum inordinatis, inquam, affectionibus deordinationem solius culpabilis defectus continentibus; quae quidem, eo ipso quod peccatum non continent, difficilius, ut diximus, tolluntur: augent praeterea difficultatem et diabolici doli astusque, et vanae mundi opiniones ac perniciosa exempla.

Solent tamen huiusmodi certamina magnas parere victorias, quae hebdomadam contrahunt; quoties nempe tentatus nihil a praescriptis exercitiis remittit, et sibi diffidens, totam in Christo fiduciam constituit, qui in hac hebdomada tamquam Rex ac Dux proponitur. Fiduciam enim ac liberalitatem remunerat Deus citius concedendo affectus huius hebdomadae proprios, iuxta illud Apocalypsis (II. 17): «Vincenti dabo manna absconditum.» Proinde poterit Instructor citius eiusmodi in sequentem hebdomadam remittere, «quaerendo, ut sequitur B. Pater, res [seu fructum proprium] iuxta subiectam materiam,» id est, omnia perpenden-

do iuxta genus affectuum cuiusque hebdomadae proprium; imo, iuxta eorum etiam speciem, quos singula exercitia postulant; ac denique iuxta fructum, quem ex eis ille, qui exercetur, consequutus fuerit.

Haec enim omnia constituunt *subiectam materiam*, seu obiectum et causam temporis producendi aut contrahendi. Contrahetur autem, si opus sit, aliqua minoris momenti exercitia omittendo; producetur vero, solitis exercitiis aliquod aliud addendo.

CAPVT II

TRIA DOCVMENTA AD EXERCITIORVM DVRATIONEM DEFINIENDAM PERTINENTIA

Haec est generalis doctrina Sti. Ignatii de producendis contrahendisve Exercitiorum hebdomadis. Vt autem plenius quae dicta sunt intelligantur, simulque viam paremus iis, quae de Exercitiorum duratione, iuxta variam eorum tradendorum rationem dicenda sunt; tria hic documenta, ad mentem Bti. Patris apprime acommodata, videntur exponenda.

Docvmentvm 1.um Quando multis simul Exercitia traduntur, neque obtineri potest, (id quod sane curandum est), ut omnes ad eumdem statum pertineant, easdemque afferant dispositiones; tunc in definienda hebdomadarum duratione, et in assignandis quotidianis exercitiis, Instructor sese attemperet communioribus dispositionibus, caeterisque illorum adiunctis, eadem prorsus ratione, qua solet a concionatoribus fieri, ut supra dicebamus. Praeterea, agendo cum unoquoque eorum, singulos dirigat, ut in his vel illis affectibus in oratione se exerceant: meditationes enim, quae pro-

ponuntur, huic varietati copiam aptam suppeditant.

Documentum 2.um Quando multo plures conveniunt ad facienda Exercitia, abundent oportet exercitia primae hebdomadae. Multi enim iis speciatim indigent; estque aperta mens Sti. Ignatii [1]. Neque aliis, qui plus profecissent, nocebit huiusmodi in prima hebdomada commoratio: primo enim poterunt in ipsa peccatorum et novissimorum hominis meditatione affectus in altius evehere; deinde, omnes, spectata humana fragilitate, oportet, ut timoris motiva et denuo corroborent, et renovent: timoris, inquam, non modo filialis, quo timemus peccatum, quatenus infinitam bonitatem offendit; verum etiam servilis, orti ex metu poenae, quam meretur peccatum. Porro ipse B. Pater, ut supra vidimus, vel in ipsa continuae Dei praesentiae exercitatione, docet, hoc servili timore debere nos iuvari: et in postrema Exercitiorum regula, utrumque commendat [2].

Verum utique est, servilem hunc timorem in viris perfectis carere debere anxietate illa, quae specialem fiduciam impediat; quia iuxta Ioannem [3]. «In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus [4].» «Perfecta charitas foras mittit timorem.» Timor vero servilis, si moderatus sit, et rationi valde est consentaneus, et utilissimus omnibus, et in Scripturis summopere commendatus; quae admonent, ut timeamus «Eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [5].»

1 Const. P. VIII. Cap. 4. §. 8.
2 Reg. 18 ad sentiendum cum Ecclesia.
3 1. Ep. iv. 17.
4 Ibid. 18.
5 Matth. x. 28.

Quamobrem vel ipsis hominibus piis, qui iam alias Exercitia egerint, nedum multitudini, de qua loquimur, docet Directorium Cap. X, expedire, ut saltem brevi tempore exerceantur in prima hebdomada: imo supponit (Cap. XIV, XV) eis praecipua primae hebdomadae traditum iri exercitia, qualia sunt *Principium et Fundamentum*, exercitium de peccatis, de peccati poenis (sive seorsim, sive priori immixtum.) Neque omittendum videtur exercitium de peccato veniali: quamvis enim non tradatur a Bto. Patre; satis tamen indicatur in examinibus, expresse positis, et adversus venialia peccata est efficacissimum.

Documentum 3.um Praeter ea, quae dicta sunt, notum habere curet Instructor quot dies in exercitiis versari debeant ii, qui ea faciunt; et iuxta maiorem aut minorem dierum numerum, has vel illas meditationes proponat: idque ei enitendum, ut non fructum, quem ipse optat, sed quem ferre illi possint, ab eis exigat: ne forte plus, quam par est, intendens; minus vel nihil ipsi proficiant. Item inspiciat an ex aliquo meditationum genere plus illi fructus capiant; id enim signum esse solet, Deum per illam viam velle eos ducere: quare, etiamsi paucis diebus debeat quis exercitiis vacare, in eiusmodi tamen meditationibus diutius detinendus est.

Vtraque huius documenti pars consonat Sti. Patris doctrinae. In prima enim e tribus *notis*, quas secundae hebdomadae, in praeludio ad electionem faciendam, praeponit, ait «prout unusquisque vult temporis [plus vel minus] impendere, vel prout profectum faciat, potest extendere vel abbreviare (hebdomadam).» Tamen, ut dictum est, nonnihil ex singulis hebdomadis sem-

per proponendum est. Ideoque, etsi ad populum tradantur exercitia, eaque dumtaxat, quae primae sunt hebdomadae; sub fine tamen tradendum est ex secunda hebdomada exercitium de Christi Regno; ex tertia vero, aliquid de Christo patiente; ex quarta denique, aliquid de beneficiis ac perfectionibus divinis. Ita enim Exercitia, aliqua saltem ratione, tradentur integra, et totam perfectionis viam demonstrabunt.

CAPVT III

DE EXERCITIORVM DVRATIONE PER XXX DIES

Diximus iam supra, S. Ignatium, caelitus illustratum, existimasse triginta dierum spatio Exercitia esse perficienda. Ita statuit expressis verbis in fine quartae Adnotationis, ubi «Finientur, ait, [integra Exercitia] plus minusve intra triginta dies.» Non definit absolute triginta dies, ut videtur sine ulla difficultate potuisse, iuxta ordinarium morem designandi numerum v. gr. dierum, in novendialibus precibus; vel quoties adeunda certa templa; et sic de aliis huiusmodi religionibus: sed indefinite dicit «plus minusve triginta dies.» Noverat videlicet prudentissimus vir, omnia paene, quae pertinent ad universam interioris hominis gubernationem, inter quae maxime reponenda sunt Exercitia, a variis adiunctis pendere, quae vix possunt universali aliqua mensura definiri.

Quoniam vero Christus eiusque Mater beatissima, qui Ignatium prudentissimum magistrum effingebant, causas eorum, quae docebant, ut consideranti patebit, aperuisse dicendi sunt, et iuxta scientiam eum «per causam et quod eius est causa,» ut loquitur Schola.

crudiisse; quaeri potest, quibusnam causis adductus sit B. Pater, ut censeret, ad Exercitia in Ecclesiam inducenda, e re fore, si ea triginta plus minusve dierum spatio concluderentur.

Equidem causam huius rei duplicem fuisse existimo. Prima est, quia oportebat Exercitia ita introduci, ut qui omnium primi illis vacarent, exemplo posteris simul et stimulo essent, ut ferventiores Exercitia facerent, si forte pauciores dies in eis impenderent. Eadem omnino ratione, qua docent Theologi, voluisse Deum, in Ecclesiae exordiis poenitentiales canones summo rigore servari, ut posteriores fideles ad luendas magno fervore et alacritate mitiores poenas hodiernis temporibus imponi solitas, illorum exemplo excitarentur; probante ipsius Ecclesiae rectore, Deo, ut minora a fidelibus exigantur; quia variis modis vult ut sibi serviatur.

Fuisse hanc, et Dei mentem in suggerenda Ignatio illa triginta dierum duratione, et eiusdem Ignatii in ea determinanda, verisimilius fiet consideranti spectasse Ignatium sua Exercitia, tamquam novum ac perpetuum medium, hominibus a Deo concessum, ut animae salutem obtinerent. Confirmatur hoc ex eorum testimonio, qui vitam Bti. Patris scripserunt, testantium optasse Ignatium et a Deo petiisse, antequam vita cederet, ut haec tria sibi concederentur, quae reapse obtinuit: primum, ut Exercitia auctoritate apostolica probarentur; secundum, ut confirmaretur Societas; tertium, ut perficeret Constitutiones; haec nempe tria perpetua fore censebat.

Altera deinde causa est, quia quum Exercitia, quacumque tandem ratione fiant, modo fideliter fiant, onus

sint humanae naturae grave, eique ipsa repugnet; optime praevidit Ignatius, prudenter sperari non posse, ut, quando initio induci coepta sunt, homines saepius Exercitiis vacarent, vel semel aut iterum ea repeterent, vel quum primum facerent, ea mente opus aggrederentur, ut postea ad idem redire vellent. Quare quum nonnisi semel ad summum in vita tantum onus susceptum iri videret, censuit triginta dierum numerum non modo aptiorem, at paene necessarium. Non certe plures: hoc enim plerisque molestum esset: neque vero pauciores, quia nemini sufficerent, ut per habitus, in Exercitiis adquisitos, posset deinceps per reliquam vitam in via perfectionis cum fervore progredi.

Adverte, hoc intelligi a Sto. Patre de iis, qui omnibus dotibus aut dispositionibus praediti sunt, ad integra Exercitia peragenda requisitis. Illis enim, quibus desunt, sive ob adversam valetudinem, sive ob aliam causam, ipse tempus contrahit, atque ab aliis oneribus liberat.

Confirmatur tota haec secunda ratio, quia initio, quando primum Exercitia inducta sunt, non solebant ab eodem saepius fieri, imo nec repeti semel. Neque S. Ignatius uspiam in suo libro meminit huiusmodi repetitionis, neque ex eius vita constat illam suasisse, quum tamen optime constet, omnibus, quotquot poterat, suasisse utique, ut Exercitia facerent. Cuius rei causa est, non quod B. Pater huiusmodi iterationes non optaret, (neque enim id zelus divinae gloriae, quo ardebat, suspicari sinit;) sed quia nondum erat opportunum tempus, quando nempe Exercitia nondum in pretio habebantur; neque omnibus persuasum erat, quantum interesset, ut per totam vitam illa ob oculos versarentur.

CAPVT IV

DE EXERCITIORVM DVRATIONE PER X AVT VIII DIES

At quaerat aliquis, an sit iuxta S. Ignatii mentem hodiernus usus, certe communis, ut nonnisi per octo aut decem dies Exercitia tradantur, etiam illis, qui ad integra Exercitia facienda requisitis dispositionibus sunt instructi? Affirmandum esse censemus, et omni anxietate vacuos optaremus eos, qui ob pietatem erga S. Ignatium exercitia ad eius mentem facere cupiunt.

Primo enim, non potest non esse ea mens Sti. Patris, iam in caelis beati, quae fuit mens Summorum Pontificum Alexandri VII, Clementis XII, Benedicti XIV, aliorumque, qui Apostolicis Litteris non modo communem octo vel decem dierum usum approbarunt, verum iis etiam, qui per hocce tempus Exercitiis vacant, nonnullas gratias et plenam admissorum remissionem concessere. Eam vero remissionem concessit Benedictus XIV iis, qui vel quinque dumtaxat dierum Exercitia faciunt; videlicet, in eorum solamen, qui aliis negotiis distenti, vel aliis occupationibus impediti, plus temporis rei tam sanctae impendere nequeunt. Generalis quidem est huiusmodi concessio; verum, quoad fieri possit, octo saltem dies impendendi sunt.

Accedit praxis tum Societatis universae, tum sanctissimorum aliorum Ordinum Religiosorum, quorum homines nonnisi per octo vel decem dies Exercitiis vacare solent.

Imo ulterius progredientes, asserimus, huiusmodi praxim valde esse consentaneam menti Sti. Ignatii, quando in terris adhuc degebat, imo quando exercitia

scripsit. Quod duplici argumento probari potest. Nam primò, cessarunt iam causae, quibus adductus B. Pater, Exercitia triginta dierum invexit. Cessavit prior, nam adsunt iam nunc frequentissima exempla, ac stimuli eorum, qui initio, quando Exercitia fieri coepta sunt, summo rigore per triginta dies exercebantur. Cessavit altera, quia iam Exercitia in magno pretio nunc habentur; agnoscitur eorum utilitas, et quantum oporteat, ut continuo ob oculos versentur veritates in eis consideratae: hinc faciunt iam multi ea mente, ut saepius iterent, novumque fervorem quotannis per ipsa concipiant; ac reapse iterant.

Alterum argumentum est, quia evidenter multo utilior est hodiernus mos antiqua illa praxi. Innumeri enim sunt viri pii, qui saepius in vita octiduanis Exercitiis vacant; non sane vacaturi, si quidem triginta dies in eis impendere iuberentur. Multo autem utilius est, ut per triginta annos, verbi causa, fiant quotannis octiduana Exercitia; quam si semel in vita in eis triginta dies insumantur. Multis enim praestat cibus in frusta apte dispertitus, quam totus simul appositus.

Denique suavitas ipsa, modo ne in dissolutionem abeat, efficacissima est. Non alia igitur fuit Ignatii mens, ea semper amplectentis, quae plus utilitatis afferrent. Neque dicendus est S. Pater id non animadvertisse: res enim obvia cuique est; sed sileri oportebat, quia facile dierum breviorem numerum amplexi, frequentiam in iterandis Exercitiis omisissemus.

Vltro tamen fatemur, si cui liceat triginta dies in Exercitiis peragendis explere, atque ad id moveatur; certe rem multo meliorem esse facturum, si illum numerum expleat. Triplici praeterea hominum conditio-

ni perutilia esse possunt integra Exercitia: primo illis, aliunde piis, quibus magni labores tolerandi, aut gravia pericula subeunda, aut arduum aliquod opus aggrediendum sit; quia ad haec tria requiritur non communis neque ordinaria animi praeparatio; secundo eis, qui a tepidiori vita ad fervidiorem transire cupiant; tertio tandem iis, qui a dissoluta vivendi ratione ad meliorem sese frugem recipere velint: in duplici enim hac conditione constitutis minime sufficient octiduana Exercitia, ut in illo triplicis affectuum genere solidum iaciant fundamentum, ut proposita ea concipiant, quae ad instituendam christianae vitae Methodum requiruntur, ut tandem Deum continuo praesentem gerere valeant.

SECTIO VIII

RATIO AGENDI AB INSTRVCTORE TENENDA CVM EO, QVI EXERCITIIS VACAT

CAPVT I

DE MAGNANIMITATE AC LIBERALITATE, QVA QVIS AD EXERCITIA ACCEDERE DEBET

In quinta Adnotatione tradit S. Ignatius eis, qui ad Exercitia accedunt, efficacissimum et longe necessarium documentum, ut Exercitia facere possint ad maiorem Dei gloriam et propriae animae profectum, quae duo semper coniuncta reperiuntur. Causa vero cur maior profectus a magnanimitate ac liberalitate pendeat, est quia Deus, ex infinita sua rectitudine, ob suarum gratiarum communicationem, postulat ut creatura rationalis, cui communicatur, acceptis gratiis pro viribus respondeat: quamquam, utpote infinite bonus, acceptat in retributionem illam animi magnitudinem ac liberalitatem, qua homo se totum Deo tradit. Quare huiusmodi magnanimitas ac liberalitas constituunt optimam ad Exercitia aggredienda dispositionem.

Animum autem *magnum* voco illum, qui magni facit gratiam nullo nostro merito, imo nobis immerentibus, a Domino concessam, ut aliquot dies negotio nostrae salutis ac perfectionis vacare liceat; adiuncta magna spirituali alacritate, ac fiducia in Deum, multa nobis be-

neficia per illos dies largiturum; idque etiam repugnante sensualitate.

Liberalitatem intelligo, firmum propositum serviendi Deo per totam reliquam vitam in omnibus, quae diebus illis agnoverimus divinam voluntatem esse, ut agamus, nulla re excepta, neque seipso, neque iis, quae ad se pertinent, «ut divina Maiestas, tam de se, quam de omnibus, quae habet, disponat iuxta sanctissimam suam voluntatem,» ut ait in hac quinta Adnotatione S. Ignatius. Haec offerenda sunt per Sanctissimam Deiparam, quam praecipuam Exercitiorum suscipiendorum patronam eligere debemus, tum quia ipsa pro nobis ad Deum intercedit, tum hoc speciali titulo, quod opus suum sint Exercitia. Hac certe dispositione ad Exercitia S. Pater accedebat.

Magnanimitas haec et liberalitas commendatur in illis Ps. LXXX. 11 verbis: «Dilata os tuum, et implebo illud,» et in 2. Mach. I. 3. «Deus det vobis, ut colatis eum, et faciatis eius voluntatem corde magno et animo volenti.» Et quoniam ita dispositus, cursum exorsus est Paulus Apostolus, iuxta verba illa: «Domine, quid me vis facere?» monet B. Pater nos omnes, dicens: «In universum loquendo, quanto aliquis se arctius Deo adstrinxerit, et liberaliorem erga summam maiestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias, et dona spiritualia uberiora recipienda [1].»

Contra vero, si absint huiusmodi magnanimitas ac liberalitas, exercitia erunt gravissimum onus, et, quod deterius erit, portas divinae misericordiae, quantum in

1 Const. P. III. Cap. I. § 22.

nobis erit, obserabimus. Quapropter, huiusmodi liberalis alacrisque oblatio non modo in exercitio *de fine hominis* eis, qui se exercent, summopere commendanda est; verum etiam in adhortatione, quae exercitia praecedere solet, acriter inculcanda, eiusque praestantia praedicanda est.

CAPVT II

QVID AGENDVM CVM ILLO, QVI DIVERSORVM SPIRITVVM AGITATIONIBVS NON PVLSATVR

Sub fine libri Exercitiorum tradit S. Ignatius duplex regularum genus ad discernendos spiritus, qui diversos in anima motus excitant. Primum quidem genus potius primae hebdomadae Exercitiis convenit, quam secundae. Genus alterum potius secundae Exercitiorum hebdomadae, quam primae est proprium. Documenta vero, quae in utroque genere traduntur, et utilitas, quae ex utroque afferri potest, ad tertiam praeterea et quartam hebdomadam protenduntur. Inde plenior haurienda est notitia spiritualium motuum, nempe illarum animi motionum, quae ad christianam perfectionem pertinent, de quibus loquitur S. Ignatius in sexta Adnotatione.

Sciendum porro, consolationem esse animi motum, quo cum spirituali delectatione ad bonum inclinamur: desolationem vero, motum, quo in ipso bono displicentiam experimur. Spiritus duplex est: alter bonus, nempe Deus et sanctus Angelus, qui motiones ad bonum in animo excitant; alter malus, nempe daemon, qui ad malum excitat. Quando autem hi duo contrarii spiritus, aut uterque simul, aut alteruter continuo post al-

terum, semel iterumque motus sibi proprios in animo excitant; tunc dicitur animus diversis motibus agitari: agitari enim nihil aliud est, quam huc illuc cum aliqua continuitate moveri.

Monet ergo S. Ignatius in hac sexta Adnotatione Instructorem, si animadvertat ei, qui Exercitia recipit, nullas incidere spirituales animi motiones, neque diversorum spirituum agitationes; sedulo debere percontari an ipsa exercitia praescriptis agat temporibus, et quo modo. Qui videlicet loquendi modus satis innuit, suspicari B. Patrem exercitia aut praescriptis temporibus non agi, aut saltem non modo debito; et ob alterutram earum causarum, aut ob utramque, non recte agi. Percunctandus igitur est, qui Exercitia recipit, ut remedium ei admoveri possit; eo potissimum, quod sine ipsius culpa, ex sola ignorantia, contingere potest.

Notatu digna est haec Sti. Patris suspicio, inde arguentis non recte agi exercitia, quod ei, qui exercetur, non incidant consolationes desolationesve, neque diversorum spirituum motiones; imo magna pace is fortasse frui videatur. Ratio suspicandi est, quia si recte exercitia ageret, quadruplici illo affectuum genere contra inordinatas affectiones seu concupiscentiam pugnaret; ipsa vero male ordinata concupiscentia, daemone et mundo adiuvantibus, vicissim contra ipsum confligeret. Etiamsi autem vinceret ille, quoniam tamen solet Dominus in bonis nostris propositis et sua consolatione animos addere, et daemoni permittere, ut desolatione perturbet; vel utramque, vel alterutram saltem, in se ille experiretur. Vnde obiter simul docemur, non debere nos eo perturbari, quod dum Exercitiis vacamus, molestiores, quam antea. tentationes experiamur.

Imo idipsum animum erigere debet, ut fidelius praescripta servemus, et maiori cum fiducia ad Deum confugiamus.

Illam vero suspicionem, quamvis tam solide fundatam, S. Pater aperte non exprimit. Quum enim tam diversae sint hominum dispositiones, quibus divina gratia plerumque attemperatur; quumque Dominus iuxta divinum suum beneplacitum, attentis fortasse iisdem hominum dispositionibus, daemonem saepe compescat; fieri sane poterit, ut recte quis agat Exercitia, quin tamen ullas speciales spirituum motiones experiatur. Communis vero causa est, quam nuper exposuimus.

Sequitur porro S. Pater in eadem hac sexta Adnotatione, et «De singulis, ait, (nempe, de desolationibus et consolationibus) ratio postuletur,» id est, utrum in Exercitiis agendis consolationem an desolationem experiatur. Si enim qui se exercet, fideliter, ut supponitur, quaestionibus respondeat; animum Instructori aperiet, poteritque ab eo dirigi.

Interrogari autem iubetur de consolationibus ac desolationibus, quia huiusmodi motiones facillime percipiuntur: quare facilius ei erit respondere de iis, quam de aliis diversorum spirituum motibus; quippe qui carere possunt sensu illo delectationis aut displicentiae, ac proinde minori facilitate percipi ac distingui. Postquam vero de illis responderit, ad haec et ad alia, quae ad ipsius directionem utilitatemque pertineant, interroganda, Instructor transire poterit.

Ex dictis in exponenda hac sexta Adnotatione, et etiam ex postea dicendis, infertur, Instructorem non solum puncta proponere debere, sed, quantum sinat

ratio, qua Exercitia tradantur, cum ipso, qui exercetur, privatim colloqui; eique facultatem esse dandam adeundi Instructorem, consultandi causa. Qua de re, ac de omnibus aliis ad eorum officium pertinentibus, Instructores enixe rogamus, ut Directorium integre atque accurate perlegant. Brevi enim de multis edocebuntur, quae nos consulto praetermittimus; tum quia plerumque ad Nostros dumtaxat spectant, nos vero universis loquimur; tum quo acrius illos stimulemus, ut libellum manibus versent, plenum auctoritatis, summa prudentia conscriptum, et in suo genere perfectissimum.

CAPVT III

QVID CVM TENTATO CAVENDVM

Documentum, in septima Adnotatione traditum, de benignitate ac suavitate, qua tractandus est, qui tentationibus pulsatur, aptissime consonat spiritui Sti. Ignatii, qui scilicet inde ab initio conversionis patientissime benignissimeque cum tentatis atque afflictis se gessit. Maxime proinde in hac re est ab Instructore imitandus, cuius quidem conscientia non parum gravaretur, si quos Dominus exercendos ipsi commisisset, aspere eos ac sine sollicita charitate tractaret.

Praeter mansuetudinem autem ac suavitatem, qua tractandus est, qui desolatione aut tentatione afficitur, tria in hac septima Adnotatione distinguit S. Pater, ab Instructoribus praestanda:

Primvm est, ut «addant ei animum ac vires in posterum.» Itaque praeter alia documenta tempori tentationis opportuna, quoniam Exercitiorum tempore suadere

conatur tentator, nihil aliud nos facere, quam peccata admittere, ac defectibus obrui; doceat Instructor tentatum, quantum Deo placeat ille, qui se humiliat, qui delictorum veniam poscit; non esse tamen hoc tempore diutius in iis immorandum; gaudeat, quantum possit, quod voluntas Dei in se adimpleatur, in maius bonum desolationem illam tentationemque permittentis, eumque adiuvantis; fore, ut ex Christi meritis victor tandem evadat. Revocet in memoriam illa: «Omne gaudium existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis [1].» — «Fidelis Deus, qui non patietur tentari supra id, quod potestis [2].» — «Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, et glorificabo eum [3].» — «Confidite, ego vici mundum [4].»

Secvndvm est, ut inimici nostri versutias detegat: ex regulis videlicet de discernendis animi motibus, quas tradit S. Pater, doceat tentationem illam non esse nisi daemonis fallaciam, «Vt non circumvenianimi a satana; non enim ignoramus cogitationes eius [5].»

Tertivm est, ut eum «praeparet ac disponat ad futuram consolationem;» ipse, nempe, se praeparet, accurate agendo exercitia, quae quidem sunt devotiones, quae tunc magis Deo placent: et propius se disponat, fretus magna fiducia, fore, ut Deus ad maiorem sui gloriam, ipsiusque spiritualem profectum, brevi eum consoletur. Hunc esse sensum verborum «futuram consolationem,» patet ex eo, quod B. Pater permiserit, ut la-

1 Iacob. I. 2.
2 1. Cor. X. 13.
3 Ps. XC. 15.
4 Ioan. XVI. 33.
5 2. Cor. II. 11.

tine sic redderentur: «tamquam brevi subsequuturam.» Notandum profecto: nam B. Pater in rebus substantialibus correctionem non patiebatur.

Noverat enim S. Ignatius, ad honorem Dei spectare spem nostram de auxilio a se protinus praebendo: etsi tempus consolationis ipsi committendum est, dicente Scriptura: «Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit [1].» Denique afferat exempla Sanctorum, desolationesque potissimum illas, quas ipse B. Pater passus est in Manresana specu, dum Exercitiis vacaret, et consolationes, quibus a Christo eiusque Matre beatissima recreatus est.

CAPVT IV

QVID VITANDVM CVM EO, QVI CRASSIS QVIBVSDAM APERTISQVE TENTATIONIBVS VEXATVR

In Adnotatione nona monet S. Pater, quum is, qui Exercitiis primae hebdomadae vacat crassis apertisque tentationibus vexari contingat, supersedendum esse Instructori usu regularum, quae ad secundam hebdomadam pertinent, de discretione spirituum; et iis utendum solis, quae in prima dantur. «Quia, subdit, quantum alter ex his accepturus est commodi, tantumdem ex illis dispendii referret, ob subtilitatem rei, et sublimitatem, quae est supra eius captum.»

Variis exemplis demonstrari id posset: quae oportebit, ut sibi ipse confingat Instructor ex accurata utriusque generis regularum consideratione: earum enim explanatio, et ratio qua sumenti Exercitia applicandae

1 Habac. II. 3.

sint, permittuntur a Sto. Ignatio prudentiae Instructoris. Vnum tamen proferam exemplum.

In regula prima hebdomadae secundae dicitur, esse «proprium Dei et Angeli cuiusque boni, veram infundere spiritualem laetitiam animae; quam movent,» etc. Quae quidem regula, recte intellecta, verissima est, atque utilissima. Ei tamen, qui in prima hebdomada exercetur, si rerum spiritualium sit inexpertus, et crasse aperteque tentari contingat contra paupertatem, contra ignominias ac dolores perferendos, facile haec ipsa regula, si proponatur, nocere poterit. Quia tunc propositis sibi divitiis, honoribus, voluptatibus, ad quas adhuc acriter afficitur, initio sane quemdam laetitiae sensum experietur; eamque, perperam intellecta et applicata regula, putabit esse Dei aut eius Angelorum motionem, quum reapse non sit nisi diabolica tentatio.

Ita explicat ipse S. Pater in septima eiusdem secundae hebdomadae regula, docens illam regulam primam pertinere ad eos, qui «procedunt de bono in melius,» ac proinde iam affectiones ad divitias, ad honores, ad voluptates edomuere. Tantam vero subtilitatem capere nondum valet, qui crasse adhuc et aperte ad ea afficitur.

CAPVT V

QVID AGENDVM CVM TENTATO SVB BONI SPECIE

Agit B. Pater in decima Adnotatione de eo, qui tentationibus iactatur, boni speciem prae se ferentibus. Vbi animadvertere oportet, apprime verbum *iactari*, quo utitur versio vulgata, hispanico *batir* respondere. quo usus est S. Ignatius: heic enim verbum *batir* su-

mitur pro *in contraria agitare vel movere;* quod idem latine significat verbum *iacto*. Semper enim, quum quis sub boni specie tentatur, in contraria iactatur moveturque: nam semper aliquod adest dubium, licet saepe reconditum, malum reapse sub illa boni specie latere: secus invincibiliter ignoraret malum illud, ac proinde sibi non esset malum, quum invincibilis ignorantia a peccato excuset; neque igitur illud esset tentatio; quae reapse nihil aliud est, quam inclinatio ad malum seu peccatum.

Docet igitur S. Ignatius in decima hac Adnotatione regulas hebdomadae secundae ad eos pertinere, qui tentationibus iactantur, boni speciem prae se ferentibus. Ratio est, quia regulae illae spectant ad viam illuminativam, secundae hebdomadae, ut diximus, respondentem: solet autem inimicus eos, qui in via illuminativa versantur, sub specie boni tentare, potius quam illos, qui adhuc in purgativa sunt. Illi enim in purgativa via iam firma contra peccatum proposita concepere, et a malo abhorrent: quare nisi sub boni specie tentarentur, inimico facilius obsisterent. Contrarium evenit in via purgativa ob causam contrariam.

Ex huiusmodi S. Patris doctrina, haec tria sequuntur:

Primvm, in tertia hebdomada frequentius etiam sub boni specie evenire tentationes: quia ipsa ad viam quoque illuminativam, licet gradu perfectiore, pertinet;

Secvndvm, etiam in via unitiva, et in quarta hebdomada illi respondente, frequentiores huiusmodi tentationes contingere: quia in unitiva, plus quam in illuminativa, horret homo malum. Quae quidem, quia

aperta sunt, non exprimit S. Pater, consuetae brevitati consulens: neque unitivam viam nominat; supponit autem, quum duas alias aperte loquatur.

Tertivm, omnia haec vulgo fieri ea ratione, quam docet B. Pater. Vt tamen semper parati simus, ac vigilemus, et ii, qui in via illuminativa, imo et in unitiva, incedunt, etiam re mala aperte proposita, tentantur; et qui purgantur adhuc, sub boni specie nonnumquam decipiuntur: nullam enim occasionem omittit inimicus, ut hominem in peccatum adducat; semper namque, ut ait Petrus Apostolus, «Circuit, quaerens quem devoret [1].»

Notandum hic est, in autographo hispanico legi in hac Adnotatione non *via*, sed *vita* purgativa et illuminativa. Parvi momenti res est: nam utrumque nomen indiscriminatim usurpatur. Certe *viae* illae etiam *vitae* esse debent: idque intelligant oportet universi; in eis quippe summa sedulitate ac vi exercendi sunt vitales illi actus, qui ad maiorem Dei gloriam conferunt; neque in falsa quadam quiete inertes manere licet, qua allecti multi, a daemone decepti sunt. In omni enim via procedendum est per actus aeternae vitae meritorios, adeoque a nobis elicitos, et a libero arbitrio ortos; perfectiores utique, communiter loquendo, in via unitiva, ac proinde uberiori gratia instructos. Neque aliter intelligendi Doctores, quando dicunt, eos, qui infusa a Domino contemplatione donantur, «non tam agere, quam pati,» ut Patri Iacobo Lainio de se B. Pater retulit. Quod autem ad nomen *viae* pertinet, vulgatus interpres duas certe ita nominat: «In via autem vi-

1 1. Petr. v. 8.

tae, quam illuminativam appellant;» et: «In altera, quae purgativa dici solet.»

CAPVT VI

IIS, QVI EXERCITIIS VACANT, NON ESSE APERIENDA QVAE SEQVVNTVR

Praecipit Stus. Ignatius, ut illi, qui exercetur in hebdomada una, nihil aperiatur eorum, quae in subsequentibus hebdomadis proponenda sunt. Idem intelligendum est de singulis cuiusque hebdomadae exercitiis respectu eorum, quae in eadem hebdomada subsequuntur, ut animadvertit B. Pater in prima e quinque notis positis in secunda hebdomada post quintam contemplationem.

Triplici de causa huiusmodi ignoratio curanda est. *Primo*, quia iuxta tritum effatum, «Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.» Intentus enim eius, qui exercitiis vacat, animus, tum praesentibus, tum simul futuris; remissior, quam par est, praesentibus incumberet. *Secundo*, quia notiones affectusque, singularum hebdomadarum proprii, sunt inter se diversi: qui videlicet, si iuxta debitum ordinem in animum inducti fuerint, apte inter se cohaerebunt, quia singuli erunt praevia dispositio a subsequentibus requisita. E contrario, si multi simul, sine debito ordine, excitentur, mutuo se impedient. *Tertio*, quia si praecedat cognitio subsequentium exercitiorum, postea, quando proponentur, carebut certe novitate, et gustu, qui ex hac novitate oriri solet; ac proinde maiori illa efficacia, qua tangitur animus, quando nova, eaque cum gustu accipit. Vnde laudandus mos eorum Instructorum, qui

singula documenta, separatis codicibus scripta, eis, qui exercentur, quando opus est, tradunt, ita ut nihil eorum, quae sequuntur, ipsis innotescat. Hi vero hanc agendi rationem, sibi utilissimam aestimare deberent. Quod si id fieri nequeat, tradantur utique omnia simul exercitia: tunc vero suppleat ratio et voluntas id, quod faceret necessitas; neque enim ex libro hoc legi oportebit, nisi quae assignet Instructor, et eo tempore, quod assignet.

Monet praeterea S. Ignatius expedire ei, qui in prima hebdomada se exercet, (quod idem monitum intellige de singulis cuiusque hebdomadae exercitiis, respectu subsequentium exercitationum), ut nesciat quid in secunda sit acturus, sed ita laboret ad consequendum illud, quod tunc quaerit, (genus videlicet illud affectuum, quod illius hebdomadae est proprium), perinde ac si in secunda hebdomada nihil aliud, (id est, neque affectum, neque affectuum genus,) esset reperturus. Postulat ergo, ut supra diximus, ut qui se exercet, omni ope conetur, induere affectus primae hebdomadae proprios, iisque penitus imbui; adeo ut ipsorum sit quodammodo dominus, et quoties opus fuerit, illos exserere valeat; omissis interea aliis affectuum generibus, quae ad sequentes hebdomadas pertinent. Quod autem hic praecipitur de prima hebdomada respectu secundae, idem, ex mente Sti. Patris, de secunda respectu tertiae, et de tertia respectu quartae, intelligendum est.

E contrario, nihil obstat, imo summopere confert, ut qui se in posterioribus hebdomadis exercet, ad priores identidem revertatur; non certe ita, ut meditationem eorumdem exercitiorum punctorumve denuo instituat;

sed ita, ut affectus ibi conceptos et confirmet, et ad maiorem perfectionem evehat. Vt enim innuimus, huiusmodi affectuum corroboratio et perfectio est unum ex praecipuis Ignatianae methodi artificiis; praesertim si id fiat in illis exercitationibus, quae sunt aliarum fundamentum, qualis est, meditatio de *Principio et Fundamento*, de *Duobus vexillis*, etc. Sic in re bellica imperator, quamvis ad vitandam copiarum divisionem, non multas simul urbes expugnandas suscipit; neque tamen conservationem munitionemque negligit earum, quibus potitus est; praesertim si iis servatis, facilius caeteras conservare ac tutari possit.

CAPVT VII

PRAEFIXVM MEDITATIONI VEL ORATIONI SPATIVM NON DECVRTANDVM

Dolendum quidem est, id quod non raro evenit, multos ab inimico decipi, ut spatium meditationi praefixum non sine magno detrimento decurtent. Huius autem detrimenti causa non tantum reponenda est in affectuum iactura, quos exercere possent in illo temporis spatio, quod meditationi subtrahunt; sed potius in animi tepiditate, quae ex illa temporis deminutione oritur, eamque fovet. Neque Deus illis, quos parum in hac re fideles, et caelestem communicationem veluti fastidientes, experitur, uberiora illa gratiae auxilia elargitur, quae magna liberalitate elargiri solet iis, qui constantes in oratione perseverant, certi potius plus impendisse temporis, quam vel momentum detraxisse. Plenam hanc certitudinem significat S. Pater hispanica

illa voce *harto* [1], qua utitur, et vulgatus vertit *animi quietem*.

Supponit Stus. Pater in duodecima hac Adnotatione, quinque exercitia esse quotidie peragenda ab eo, qui Exercitiis vacat, eorumque singula per horam protrahenda, iuxta illud Christi ad Petrum [2]: «Sic non potuistis una hora vigilare mecum?» Quare in prima hebdomada, antequam Additiones tradat: «Exercitiorum vero tempus, ait, ita distribuendum est, ut primum eorum fiat in media nocte; secundum, mane simul ac surreximus; tertium, ante vel post Missae sacrum, nondum sumpto cibo; quartum, circiter horam vesperarum; quintum, hora ante coenam.»

«Quae temporis distributio, subiungit, singulis quatuor hebdomadis communis est: variari tamen potest, atque augeri vel minui, prout unicuique, ad peragenda dicta quinque exercitia, aetas, animi corporisque dispositio, sive naturae ipsius complexio subservit.» Et in tertio ex quinque Notandis, quae subiecit quintae contemplationi in prima die hebdomadae secundae, ita habet: «Si is, qui exercitatur, sit senex, vel per hebdomadam primam viribus attritus, praestat eum aliquoties non surgere de nocte,» etc. Imo «expedit nonnumquam eum, qui exercitatur, quamvis et vigore animi et corporis robore sit praeditus, nonnihil tamen remittere, etc.,» ut dicitur in Notando praeiacto duplici contemplationi secundae diei eiusdem hebdomadae secundae: ubi praeter mitigationem illam non surgendi de

1 «Así procure siempre que el ánimo quede *harto* en pensar que ha estado una hora entera en el exercicio, y antes más que menos.» (An. 12.)

2 Matth. xxvi, 40.

nocte nuper permissam, conceditur, ut quatuor dumtaxat exercitia peragantur. Ita in tertia hebdomada post secundam contemplationem in secundo e quatuor Notandis: «Habita dicitur, aetatis, complexionis corporalis ac dispositionis totius ratione, vel quinque vel pauciora exercitia, diebus singulis implebuntur.» Tandem in secundo Notando post primam quartae hebdomadae contemplationem docemur: «Convenire magis quartae huic hebdomadae, ut quatuor dumtaxat fiant exercitia. Primum, postquam mane surreximus,» etc.

Ex his elucet, qua prudentia ac suavitate se gereret S. Ignatius: praesertim si haec conferantur cum iis, quae supra diximus, de minuendo numero triginta dierum. Quemadmodum enim dierum imminutio, etiam in illis, qui dispositiones habent omnes ad integra Exercitia peragenda requisitas, et usitata iam nunc ratio absolvendi exercitia spatio octo decemve dierum, menti Sti. Patris absonae non sunt; ita etiam non opponitur eius menti, quam hic apertissimam videmus, si quatuor tantum exercitia, etiam relicto illo, quod fieri solet media nocte, peragantur. Si quis tamen ad quinque exercitia quotidie facienda, et ad surgendum media nocte afficiatur, atque ad id suppetant vires; certe melius aget.

Postremo, singulis horis S. Ignatius diversa assignat exercitia. Neque hac in re hodierna consuetudo est a mente sancti Patris aliena: quamvis enim tituli materiae exponendae pauciores nunc sint, eo nempe fine, ut tradi puncta commodius possint; puncta tamen diversa singulis horis proprie meditamur, quae quidem diversa exercitia constituere possent; aut saltem circa ipsa sive repetitiones sive applicationes sensuum insti-

tuimus; quae omnia iuxta S. Ignatii mentem diversa puncta constituunt.

CAPVT VIII

EXERCITII TEMPVS, INCIDENTE DESOLATIONE, PRODVCENDVM, NEDVM DECVRTANDVM, ESSE

Quam doctrinam tradidit S. Pater in praecedenti Adnotatione pro quocumque tempore, sive consolationis, sive desolationis; eamdem in Adnotatione decima tertia ei applicat, qui in desolatione versatur: hortaturque desolatum, ut praeter dictam certitudinem, qua conscius sibi esse debet, plus temporis praefiniti, quam minus, in exercitio insumpsisse; praesente desolatione, producat tempus ultra praefinitam horam, adversus desolationem ac tentationem pugnando.

Causa vero, quam affert S. Pater, digna est, quae menti penitus infigatur; utpote quae ad alias etiam tentationes strenue superandas peropportuna est. «Ita enim, ait, non solum discimus resistere adversario, sed eum etiam expugnare,» id est, humi prosternere, iuxta vim hispanicae vocis *derrocar*, qua utitur in hoc loco. Duplicem ergo viam demonstrat vincendi adversarii, quoties animum tentatione pulset. Prior est, hosti resistere, nempe tentationi minime consentire; altera vero, non modo ei non consentire, sed praeterea actum aliquem contrariae virtutis elicere, agendo contra ipsam tentationem; quod ipse vocat «adversarium expugnare, atque humi prosternere.»

Quod quidem documentum aptissimum est ad multum et cito progrediendum in via perfectionis: primo, quia magni meriti est huiusmodi actus; deinde, quia

valde confert ad habitum contrariae virtutis adaugendum; denique, quia daemon, intelligens nihil se proficere, imo non parum amittere, suis incursibus, a tentando deterretur. Hac igitur arte, auxilio gratiae adiuti, daemonem expugnamus, humi prosternimus, eiusque superbiam proterimus et conculcamus, iuxta illud Pauli [1]: «Deus conterat satanam sub pedibus vestris.»

CAPVT IX

QVID CAVENDVM CVM EO, QVI MVLTA CONSOLATIONE FERTVR

In Adnotatione decima quarta monet S. Ignatius Instructorem, curandum sibi esse, ne, qui vacat exercitiis, quando multa consolatione et fervore magno fertur, promisso aliquo vel voto, inconsulte ac praecipitanter facto, se obstringat.

Quamvis enim alius alium iuste (id est, actu honesto et moraliter bono) movere possit ad emittendum votum cuiuslibet operis, quod sit materia voti, (nempe boni operis, et iuxta communem Theologorum sententiam, melioris, quam ipsius contrarium); quamvis etiam opus ex voto factum magis sit meritorium, quam opus sine voto factum, (quum votum sit specialis actus ad religionem cultumque divinum pertinens, qui novum ac magnum valorem operi tribuit:) attamen quoties Instructor cernat eum, qui se exercet, multa consolatione et magno fervore ferri; non modo eum admonere, verum etiam praevertere debet, et tamquam de re magni momenti praemonere, ne *inconsulte*, seu sine debita consideratione, ac *praecipitanter*, seu re prius non

1 Rom. VI. 20.

mature perpensa, promisso aliquo aut voto se obstringat. «Idque, ait S. Pater, tanto fuerit diligentius praevertèndum, quanto ille ingenii esse instabilioris perspicitur,» sive mutabili ingenio sit, sive ex vehementiori phantasia rebus constanter insistere nequeat, sive denique res minus perspicue apprehendat, aut quavis alia de causa.

Haec docet S. Ignatius in bonum eius, qui se exercet, ne in votum emittendum, validum sane, at fortasse imprudens, rapiatur. Tria vero commendat consideranda in votorum emissione. Primum, voventis ingenium, quod ipse vocat *conditionem;* secundum, ipsius valetudo, seu, ut ipse loquitur, *subiectum;* tertium, reliqua ipsius personae adiuncta, quae exprimit B. Pater illis verbis: «Quid commodi vel incommodi possit occurrere ad illud praestandum, quod aliquis promissurus sit.» Eorum porro adiunctorum unum est, gratiae auxilium, quod sperare vovens prudenter potest, iuxta interiorem animi motum, quo tunc fertur, et iuxta ea, quae olim in se, fuerat expertus. Ex quibus inferri posse videtur, si tria illa, quae perpendenda sunt, intelligantur futura esse obstacula ad voti adimpletionem: consultius esse votum non emittere, et intra limites simplicis promissionis se continere, ne in periculum se coniiciat voti non adimplendi. Nam «Multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere» ut ait Eccl. V. 4.

Tria hic obiter notanda sunt. Primum, afferri a B. Patre in hac Adnotatione exemplum voti ingrediendi Religionem, ob graviorem difficultatem triplicis voti religiosi sub illo contenti; quare votum illud diuturniori consideratione perpendendum est:

Secvndvm, non absolute docere B. Patrem, ab omni voto debere eum, qui exercetur, ab Instructore averti; sed ab inconsiderato dumtaxat; proinde si prudens existimetur votum, non est prohibendum, ut monet Directorium, Cap. 31.

Tertivm, quamvis omne votum sit promissio, non tamen supervacanea est vox illa *promissio*, quam adiungit S. Pater voci *votum*, quia non modo promissio Deo facta, sed ea etiam, quae homini fieri possit, ut puta tradendi ei bona sua, cum consideratione et sine praecipitantia est facienda.

CAPVT X

EVM, QVI EXERCITATVR, PERMITTENDVM ESSE, VT A DEO MOVEATVR

Praecipuum ex documentis, quae S. Pater in decima quinta Adnotatione tradit, commendatque Instructori, est huiusmodi: licet extra Exercitia licitum sit, et pro merito ducendum, si quis alium moveat, ut inter status rationesque vivendi in se bonas, seligat meliores; convenientius tamen esse, ne id tempore Exercitiorum fiat; sed maneat oportet inter status illos Instructor, tamquam libra aequatis utrinque ponderibus aut vacuis lancibus, neutram in partem propendens, imo ne leviter quidem inclinans. Committendum est enim Creatori, ut agat cum creatura; et creaturae ut agat cum Creatore: ipsa vero dirigenda dumtaxat erit ne cognitionem divinae voluntatis impediat: simul autem ac divinam noverit voluntatem, probet Instructor, ut illam anima sequatur.

Quam vero ob causam huiusmodi ratio agendi prae-

scribitur tenenda dumtaxat intra Exercitia, non autem pro quovis tempore? Huius quidem rei duplex causa in hac Adnotatione innuitur. Prima est, quia intra Exercitia, quum diutius mentali orationi insistamus, eo nempe fine, ut a Deo cognoscamus, in quem vitae statum nos elegerit, anima speciali ratione sistitur coram Deo, et quodammodo cum ipso coniungitur ad illud obtinendum. Id videtur significari verbis illis Sancti Ignatii: «ut ipse Creator ac Dominus animae sibi devotae se communicet, eam inflammans in suum amorem ac laudem.» Qua quidem communicatione statuta, minime decet, ut Instructor se interponat, illamque fortasse impediat. Quemadmodum si rex quidam velit cum subdito immediate per se colloqui; absonum est, ut tertius, utcumque recta id mente tentaverit, inter utrumque se ad loquendum constituat, sermonesque impediat. Et prior haec ratio convenit omni tempori, quo quis diuturniori orationi incumbat, ad Dei voluntatem de eligendo vitae statu cognoscendam.

Altera vero causa peculiaris est tempori, quo quis Ignatiana Methodo exercetur. Ignatiana enim Exercitia eo potissimum fine Deus mundo tradidit, ut animis se immediate communicando, vocationem, qua singulos homines vocat, aperiret, alios ad aliam vivendi rationem ac statum eligendo: hinc enim Ecclesia varietate circumdatur; hinc vario hominum ingenio consulitur, qui profecto in quolibet, in quem vocentur, statu, perfectionem attingere possunt; et extra ipsum, eorum salus periclitatur, quia minus eis aderit Deus.

Quod autem Ignatiana Exercitia sint huiusmodi medium constat primo, quia tota secunda hebdomada ad status electionem dirigitur. Constat praeterea ex per-

petua atque universali experientia, quam apte ad hunc finem conferant obtinendum. Idque videtur significare, imo aperte exprimere, B. Pater verbis illis: «tamen in talibus Exercitiis.» Non enim loquitur absolute *de Exercitiis*, sed *de talibus Exercitiis;* quid autem aliud sunt *talia Exercitia*, nisi ea, quae erat ipse praescripturus?

Vt autem ad documentum in hac Adnotatione traditum revertamur, sciendum est, Stum. Ignatium fuisse de eius accurata executione valde sollicitum: ut patet ex quadam instructione de suis Exercitiis tradendis, quam Patri Ioanni Alonso Victoriae ipse dictavit, et citat P. Ludovicus Palmensis in Via Spirituali Lib. IV. cap. 18, his verbis: «Quando aliquis Nostrorum cum eo, qui exercetur, loquatur; monendus erit, ne cum eo de aliis loquatur, quam de iis, quae communiter ac universe ad divinum servitium pertinent, nullo admixto sermone, ex quo directe aut indirecte intelligi possit, velle se illum ad Societatem allicere. Alioquin falcem mittet in messem Dei Domini nostri, volentis tunc cum anima sibi devota pro suo beneplacito operari. Quam formam sese gerendi servare debet ille, qui tradit Exercitia; illud prae oculis habens, ne aliud ex proprio paenu adiiciat, quam ministerium tradendi Exercitia, qualia tradenda sunt; nempe multa cum charitate, sollicitudine, oratione, Deo illum serio commendando, ne propter eius, qui Exercitia tradit, peccata, animam illam vel minima labe obduci patiatur.» Hactenus S. Pater.

Ex quibus omnibus elucet, quam vana sit, quamque erroris plena illorum opinio, qui arbitrantur ac pertimescunt, fore ut ad amplectendum religiosum statum

perducantur, si Ignatianis Exercitiis vacaverint. Quod adeo est falsum, ut, quum aliunde extra Exercitia possint Instructores, imo nonnumquam debeant, alios suadere, ut Religionem ingrediantur; attamen intra ipsa Exercitia id nec debent nec possunt suadere, iuxta documentum ipsis in hac Adnotatione traditum.

Agentes inferius de secunda hebdomada, dicemus de indifferentia ipsorum Exercitiorum ad omnes omnino status.

CAPVT XI

SI ANIMA AD ALIQVID INORDINATE INCLINETVR, NITENDVM EI ESSE IN CONTRARIVM

Decima sexta Adnotatio ad antecedentem refertur, ut patet ex autographo, ubi leguntur haec verba: *Para lo cual*, et in litterali versione: «*Ad id*,» nempe, quod supra dictum est, scilicet, ut Creator ac Dominus certius operetur in sua creatura,» etc.

Monet hic S. Pater, oportere ut, quando is, qui exercetur, inordinate afficitur ad aliquid adipiscendum, puta ecclesiasticum beneficium, in oppositum affici enitatur, ita ut Deum oret, ut non beneficium illud concedat, sed inordinatam affectionem vel mutet vel auferat.

Quoniam vero inordinatarum affectionum, ut supra docuimus, aliae quidem sunt nobis liberae, et in se ipsis inordinatae; aliae vero nobis liberae non sunt, et id dumtaxat continent deordinationis, quod ad actum inordinatum aut pravum nos inclinent; dubitabit fortasse quispiam, utrum S. Pater de priori tantum inordinationis genere loquatur, an etiam de posteriore, ubi,

proprie loquendo, non adest nisi tentatio quaedam ad malum, cui videlicet si resistatur, augetur meritum.

Equidem existimo, sermonem hic esse de priori tantum genere: atque ad id duplici potissimum de causa adducor. Prior est, quia optime contingere potest, velle Deum, atque ad eius gloriam conferre, ut qui exercetur, beneficium, exempli causa, adipiscatur, interea vero inordinata affectione, sibi non libera, in illud feratur; ut ei resistendo, meritum augeat. Ergo non vult S. Pater huiusmodi inordinatam affectionem, minime liberam, mutari aut auferri. Altera est finis ipse, quem S. Pater intendit, exprimitque in fine huius Adnotationis, ut nempe «causa desiderandi vel tenendi unum vel alterum, sit solum obsequium, honor et gloria suae divinae Maiestatis.» Quae omnia bene haberi possunt simul cum inordinatis affectionibus non liberis modo vel eis resistatur, ut diximus, vel non consentiatur. Manifestum est enim, desiderium aut possessionem, de quibus est sermo, pendere a libero arbitrio, ac proinde voluntati posse imputari.

Verum quidem est, in nota apposita exercitio de triplici hominum classe in secunda hebdomada, velle S. Ignatium, ut etiam non liberas affectiones inordinatas exstinguere nitamur, Deumque oremus, ut ad id potius nos eligat, ad quod inordinatam repugnantiam non liberam experimur. Id vero nihil obstat: quia si eligamur, iam illud conferet ad divinam gloriam; imo ad maiorem gloriam, propter actum, quo repugnantiam devincemus: in casu autem, de quo nunc agimus, fieri potest, ut res non conferat ad divinam gloriam. Praeterea, illud quod ibi exigit S. Pater ab eo, qui plus profecit in Exercitiis, perfectius est quam id quod po-

stulat nunc in ipso Exercitiorum limine, tamquam dispositionem ab ipso initio procurandam. In quo splendet prudentia ac suavitas Beati Patris: ut enim optime animadvertit P. Ludovicus Palmensis, haec est una ex prudentissimis suavissimisque Ignatianae Methodi artibus, ut eum, qui exercetur, numquam evehat in superiorem gradum, donec in illo inferiori constituerit, ex quo facilis sit ad superiorem ascensus.

CAPVT XII

APERIENDAS ESSE INSTRVCTORI PROPRIAS AGITATIONES COGITATIONESQVE, NON VERO PECCATA, AB EO, QVI SE EXERCET

Ad capiendas eas omnes utilitates, quas hactenus exposuit S. Ignatius, summopere conferet, si is, qui se exercet, Instructori aperiat omnia, quae sibi accidunt in exercitiis; idque summa fidelitate, nempe cum veritate, integritate ac simplicitate. Illius autem cogitationes et peccata Instructor inquirere ac scire nolit: cogitationes, inquam: nempe liberos consensus illis cogitationibus praebitos, ac proinde voluntati imputandi.

Qua in re S. Pater summa prudentia rubori alterius consultum voluit. Neque tamen, qui exercetur, nimia se cautela praemunire debet: quamvis enim illa aperiat, tenetur ex officio Instructor strictissima naturalis secreti lege: quod si tamquam Confessarius audierit, tenebitur sacramentali sigillo.

Praeter dictas utilitates, hanc aliam innuit S. Pater in hac Adnotatione: «Quia, ait, secundum maiorem aut minorem profectum potest ei tradere quaedam exercitia spiritualia convenientia et conformia necessitati

animae» etc. Quaenam sint exercitia convenientia et conformia non pressius determinat; sed Instructoris prudentiae committit. Satis fore censuit, si dixerit, debere esse *convenientia*, triplici videlicet Exercitiorum fini antea explicato, ut semper est intelligendum; et *conformia*, nempe necessitati animae *sic agitatae*, ut loquitur in hac Adnotatione.

SECTIO IX

DE VARIA RATIONE TRADENDI AC PERAGENDI EXERCITIA

In tribus postremis Adnotationibus docet S. Ignatius summam, qua sua Exercitia tradi fierique possunt, varietatem. Qua in re exponenda, sequenti ordine procedemus. Primo, principia quinque statuemus, quae vel ipse B. Pater expressis verbis docuit, vel saltem ipsius menti apte respondent. Deinde, rationes aliquas tradendorum Exercitiorum explicabimus, quas ille, prout in ipso Exercitiorum vestibulo fieri potuit, assignavit. Denique nonnulla tradendi Exercitia genera, et quasdam species, sub his generibus contentas, attingemus, quae iuxta ipsius Bti. Patris aut expressa documenta, aut non obscuram mentem, hodiernae agendorum Exercitiorum rationi respondent.

CAPVT I

PRINCIPIA QVINQVE GENERALIA AD DICENDORVM INTELLIGENTIAM PEROPPORTVNA

Primvm principium est, omnibus, qui ratione utantur et christianam fidem profiteantur, tradi posse Ignatiana Exercitia, aliqua saltem forma ex iis, quae dicentur; ac proinde praedictos omnes Exercitia agere posse. Nulli in hac re esse potest ratio dubitandi: tum quia Ignatiana Exercitia nihil aliud sunt, quam prudentes quaedam circa doctrinam fidei considerationes,

quarum omnes fideles, ratione utentes, sunt capaces; tum quia Paulus III, Pontifex Maximus, in Brevi, quo Exercitia probat, omnes omnino fideles, nullo excepto, ad ea peragenda hortatur: quod quidem non ageret, nisi eos aptos arbitraretur. En Pontificis verba: «Hortantes plurimum in Domino omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et Exercitiis uti, et illis instrui devote velint.»

Hanc etiam fuisse Sti. Patris mentem, nemo est, qui ambigat: tum quia zelo salutis omnium ardebat, tum quia ad hunc finem Exercitia sibi a Christo eiusque beatissima Matre tradita noverat, ut cum universo hominum genere communicaret. Accedit illud, quod prudentes viri non pauci secessum illum ad Exercitia peragenda «Universale christianorum tyrocinium» vocavere.

Alterum principium est, licet Exercitia universis tradi possint ac debeant, omnesque recte agent, si illis uti velint; non tamen omnibus eadem prorsus ratione applicanda esse; sed ad particulares hominum diversasque dispositiones accommodanda. Qui enim recte operatur, materiae, in qua operatur, dispositionibus accommodari debet.

Hanc doctrinam expressis verbis, et tamquam dicendorum fundamentum, tradit B. Pater in ipso initio decimae octavae Adnotationis, generali illa propositione: «Iuxta dispositionem eorum, qui volunt Exercitia spiritualia suscipere... applicari debent.» Inter quas dispositiones enumerat quasdam homini minime liberas, ut aetatem, doctrinam, ingenium: inferius autem etiam liberae dispositionis meminit, scribens: «Itaque ei, qui

[tantum] iuvare vult, ut instruatur, et ut perveniat usque ad certum gradum contentam reddendi animam suam,» ètc. Ratio vero, quam affert S. Pater, est «Ne homini rudi vel exiguae [delicatae] complexionis tradantur ea, quae commode [s. suaviter] ferre non possit, et quibus non possit proficere.» Vbi duo tradit documenta, quae semper Instructores prae oculis habere oportet. Primum, ne ulli umquam «tradantur ea, quae commode ferre non possit,» tamen, ut supponitur, accedere debet labor ille, quem secum afferunt Exercitia. Secundum est, ne ulli tradantur ea, «quibus non possit proficere:» intelligitur etiam, ut ea tradantur, quibus magis proficere possit.

Tertivm principium est, Ignatiana Exercitia, quacumque tandem ratione tradantur, a natura Exercitiorum Ignatianorum desciscere non debere, ut evidens est. Quare ordinanda semper sunt ad triplicem illum finem obtinendum, quem intendit S. Pater, nempe, ad quadruplex genus affectuum quadruplici hebdomadae respondens, ad methodum christianae vitae, ad continuam Dei praesentiam, ut superius dicebamus.

Neque obstat, quod in hac Adnotatione decima octava monet S. Ignatius, aliquibus non debere tradi exercitia, quae ultra primam hebdomadam excurrunt. Vt enim optime animadvertit ac demonstrat P. Ludovicus Palmensis [1], loquitur B. Pater de huiusmodi aliarum hebdomadarum exercitiis, non relate ad eorum materiam, ad quam suo certe modo considerandam omnes sine dubio sunt apti; sed relate ad altiores cognitiones atque affectus, quos in illa materia cupit B. Pater ex-

1 Via Spirituali, Lib. IV. Cap. 19.

citare. Ergo eiusmodi etiam homines adducendi sunt ad affectus, superiorum hebdomadarum proprios, concipiendos; modo fiat id, iuxta secundum principium, ad eorum dispositiones illos affectus accommodando.

Qvartvm principium est: quod attinet ad diversam tradendi Ignatiana Exercitia rationem, aliud censendum est, si agatur de vetere ratione tradendi exercitia triginta dierum, proponendi quotidie quinque exercitia, et surgendi media nocte; aliud vero, si agatur de hodierna ratione agendi exercitia octo tantum aut decem dierum, proponendi quatuor dumtaxat exercitia, et nocte non surgendi. Patet enim multo plures reperiri illis instructos dotibus, quae requiruntur ad peragenda Exercitia Sti. Ignatii integra, posteriori hoc, quam illo priori sensu. Cui quidem distinctioni favet multorum prudentum opinio, asserentium plerosque virorum non modo ecclesiasticorum, ac laicorum vinculi matrimonii expertium; verum etiam coniugatorum, ipsarumque feminarum, instructos esse omnibus illis dotibus, quas ad integra Exercitia perficienda requirit S. Ignatius. Audiatur ipse B. Pater [1]: «Exercitia spiritualia plene nonnisi paucis, iisque huiusmodi, ut ex eorum profectu, non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur, tradenda sunt. Primae vero hebdomadae exercitia ad multos, et aliqua conscientiae examina et modi orandi (praesertim primus trium illorum, qui in Exercitiis proponuntur), ad multo plures etiam extendi possent: quivis enim bona praeditus voluntate ad haec idoneus erit.» Hactenus S. Ignatius. Quae omnia recte componuntur, si intelligatur loqui S. Pater de

1 Const. P. VII. Cap. IV. § 8. Declar.

veteri tradendorum Exercitiorum ratione, alii vero de ea, quae est hodiernis temporibus usitatior.

Qvintvm principium: habenda prae oculis sunt duo, quae quidem nunc adsunt, deerant autem quando Exercitia primum invecta sunt. Prius est, hodierna consuetudo tradendi Exercitia non modo pluribus simul hominibus, sed in loco etiam publico, ut in templo, in sacello; ab initio autem, singulis dumtaxat, et privatim tradebantur. Alterum est, posse nunc Exercitia fieri summa cum secessione, tum in Domibus Societatis aliarumque familiarum religiosarum, sub peritis Instructoribus; tum etiam in amplis aedibus ad unum hunc finem exstructis, in nonnullis Europae atque Americae urbibus, appellanturque Domus Exercitiorum: quae quidem Domus aliae solis viris destinantur, qui summa frequentia eo convenire solent, ibique octo decemve dies commorantur, invitanturque per publica edicta typis excussa: aliae vero solas feminas recipiunt, quae inclusae degunt, omni virorum aditu prohibito; quae in templo, his Domibus adiecto, Instructorem audiunt, et pariete interposito, Confessario, quem cupiant, confitentur.

Duo haec, diximus, certe pergrata sunt Bto. Patri, ob uberes, qui inde percipiuntur, fructus; praeterea diversas tradendorum Exercitiorum rationes et possibiles et faciles induxerunt, quae antea possibiles non erant.

CAPVT II

DE QVATVOR DISPOSITIONIBVS, QVIBVS ACCEDI SOLET AD EXERCITIA SVSCIPIENDA, ET DE QVADRVPLICI EORVM TRADENDORVM RATIONE, ILLIS DISPOSITIONIBVS RESPONDENTE

Quinque his principiis praestitutis, transeamus ad alterum, quod promisimus, explicandum, nonnullas nempe tradendorum Exercitiorum formas, quas tradit S. Ignatius, apposita ad ea, quae sua aetate commodius fieri potuerunt. *Nonnullas*, inquam: quia non omnes tradidit; sed illas solummodo, quae speciale lumen ad similes alias excogitandas afferebant.

Eas porro tradit B. Pater, incipiens a verbis illis Adnotationis decimae octavae: «Itaque ei, qui [tantum] iuvari vult, ut instruatur» usque ad ea, quae initio vicesimae Adnotationis leguntur: « Tradantur omnia Exercitia spiritualia eodem ordine, quo procedunt.» Quatuor ibi distinguit tradendorum Exercitiorum formas, distinctionis huiusmodi ratione desumpta ex quatuor diversis dispositionibus, quas spectat in iis, qui ad Exercitia accedunt.

Prima igitur dispositio explicatur in decima octava Adnotatione, ab illis verbis: «Itaque ei, qui [tantum] iuvari vult,» usque ad illa: «Et operibus misericordiae:» estque eorum, qui aliquo quidem voluntatis motu, non autem magno illo animo atque liberali, quem postulat S. Pater in quinta Adnotatione, ad Exercitia accedunt, cupientes certa dumtaxat mensura in via perfectionis proficere, ut nempe, aiunt, vitam degant, pacata tranquillaque conscientia, et ut animae

salutem consequantur; ampliorem vero Dei gloriam quaerere, et propriam promereri, non curant. Nae isti minime animadvertunt tam difficile esse salutem animae, nisi ulterius progrediantur, obtinere, quam est difficile corporis vitam servari ab eo, qui non aliud curat, quam praecise non emori.

Et quamquam huiusmodi dispositio adeo est imperfecta, eaque, utpote homini libera, in meliorem esset commutanda, (praesertim quum plerumque adnexam habeat incuriam culpabilium defectuum venialiumque peccatorum vitandorum;) eam tamen non respuit B. Pater, quia «Charitas patiens est, benigna est» iuxta Apostolum [1]: et quoniam in animis tam parum dispositis promovere non potest bonum, quod vult; promovet bonum, quod potest: melius est enim parum, quam nihil. Quapropter debent Instructores huiusmodi homines admittere, neque ab Exercitiis excludere; sed paulatim melius disponere curent, prudenter et caute periculum aperiendo, in quo versantur; fore ut, numquam eam, quam quaerunt, conscientiae tranquillitatem, nanciscantur. Ad haec suggerant oportet affectum aliquem superiorum hebdomadarum proprium, quo illi plus indigeant; methodum vitae christianae instituendae, quae eis gravior non sit; continuam Dei praesentiam, ea saltem ratione, ut quandoque mentem ad Deum quotidie erigant; haec omnia minime esse operosa; imo vero, magnopere conferre ut vitam illi degant laetiorem beatioremque.

Porro hanc esse mentem Bti. Patris, ut illa ab Instructoribus cum zelo et prudentia suaviter suggeran-

1 1. Cor. XIII. 4.

tur, significat ipse verbis illis: «Commendando ei etiam confessionem suorum peccatorum [faciendam] octavo quoque die:» (Adn. 18.) quae quidem confessionis frequentia homini, in tam imperfecta dispositione versanti, magnum quid esse videbitur: ideo suaviori illa voce utitur: *commendando;* at suaviter nonnihil urgendo, subiungit: «Posse sumi [1] communionem decimo quinto [quoque die], et, si ita afficitur melius, octavo quoque die:» ubi non absolute iubetur sumere, sed admonetur sumere posse communionem; ut intelligat, fore utique conveniens, ut quoties peccata confiteatur, sacram pariter communionem sumat, quod fit communiter a christianis: at frequentior huiusmodi communio meliorem requirit dispositionem, quam est vitae ratio, quam ipse instituere vult; quare melius afficiatur, et audeat perfectiora.

Illud est notatu dignum, quod subdit B. Pater: «Hic modus magis est conveniens rudioribus seu illitteratis;» ubi iis, qui prima hac adeo imperfecta dispositione instruuntur, plures alios adiungit, qui limitatam etiam habent proficiendi voluntatem, at minori sui culpa, ut rudes seu illitterati: a quibus profecto meliora sperat, si causa, nempe imperitia et ignorantia, tollatur; ideoque praecipit, ut eis declaretur singillatim «unumquodque praeceptum, et sic de peccatis mortalibus» etc. Ita agere se cum rudibus Indis scribebat S. Franciscus Xaverius, a Bto. Ignatio edoctus.

Animadverte tandem, velle S. Patrem, ut eiusmodi

1 Textus hispanicus, prout citatur a P. Ferrusola, et prout legitur in exemplari, quod prae oculis habeo, sic habet: «Y *se puede* tomar el Sacramento:» ubi litteralis interpres videtur legisse: «Y, si puede, tomar el Sacramento.»

homines saltem per semihoram mente orent, oratione quidem simplici, iuxta primum orandi modum: quia Exercitia, sublata omni mentali oratione, non essent Ignatiana Exercitia.

Secvnda dispositio, de qua agit B. Pater in reliqua Adnotatione decima octava, est eorum, qui licet bona sint praediti voluntate in via perfectionis, nullo praefinito gradu, progrediendi; quia tamen sive spiritu sive corpore minus valent, non satis apti deprehenduntur ad exercitia secundae, tertiae et quartae hebdomadae, quod attinet ad abstrusiores illas cognitiones altioresque affectus concipiendos, qui in illis hebdomadis tractantur: neque vero iis indigent, in gradu perfectionis, ad quem vocantur. Hi certe bene dispositi dicendi sunt: quapropter de ipsis liberius ac sine ambagibus loquitur S. Pater; praecipitque, ut tradantur eis ordo ac methodus confitendi peccata crebrius, quam solebant, quando remissiori fervore agebantur, ut quae nunc acquisierunt, conservare valeant: non certe quasi hoc sibi sufficere arbitrentur, neque merita gratiamque augere, ac virtutis habitus perficere, enitantur; sed ut in quatuor affectuum generibus, in vitae christianae instituendae methodo, in continua Dei praesentia gerenda perseverent, prout in Exercitiis, obiter saltem, edocti sunt.

Neque obstat illud, quod in fine huius Adnotationis legitur: «Maxime quando in aliis maior profectus fieri potest, dum tempus deest [non sufficit] ad omnia.» Haec enim id dumtaxat significant, iuxta prudentiam, ac proinde iuxta divinam voluntatem, esse, ut quando tempus ad omnia non sufficit, quin ulli in necessariis deficiamus, ea potius agamus, ex quibus fructus uberior speratur.

Sedulo est hic animadvertendum, quanti momenti S. Pater esse duxerit examina et confessionem, eamque etiam generalem, quoties opus fuerit, non modo iis, qui in secunda hac dispositione, verum iis, qui in prima illa imperfectiore, versantur; imo, et aliis, qui tertia aut quarta instruuntur. Id enim ab omnibus postulat, quod supra dicebamus, ut quacumque tandem ratione Exercitia peragant, certi fiant quam primum liceat, et quantum fieri potest in hac vita, a letali omni peccato se puros esse, et tantam gratiam a Deo accepisse confidant: sine hac enim securitate, perfectionis aedificium super labilem arenam exstrueretur.

Tertia dispositio, de qua sermo est in tota Adnotatione decima nona, eorum est, qui licet praediti sint voluntate nullo certo fine terminata, et requisito corporis animique vigore, tamen aut *rebus publicis*, muneribus nempe ad rem publicam pertinentibus, aut *negotiis*, seu privatis ac domesticis officiis, certe *convenientibus*, id est, legitimis et quodammodo necessariis, impediuntur, quominus integra perficiant Exercitia. Hic revocandum in memoriam est, quod supra in exponendo quarto principio monuimus: quamvis iuxta veterem faciendorum Exercitiorum consuetudinem per dies triginta, et quinque quotidie exercitiis, et media nocte surgendo, plerosque impediri, quominus Exercitia integra perficiant; iuxta recentiorem vero morem multo pauciores impediti censendi sunt: vix enim aliquem reperias adeo negotiis distentum, qui sine gravi incommodo, negotia aut anticipando, aut in aliud tempus differendo, aut alium in iis peragendis sibi sufficiendo, octo decemve dies expediri nequeat, ut vacet

Exercitiis. Quod si ad corporis valetudinem tuendam expeditur, quidni ad animi salutem comparandam?

Qvarta denique dispositio, quam innuit S. Pater in vicesima Adnotatione, eorum est, qui dotibus universis ad Exercitia integra perficienda requisitis, instruuntur; voluntate, inquam, nullo certo perfectionis gradu terminata, animi corporisque robore, tempore a curis soluto. Iis «tradantur, inquit, omnia Exercitia spiritualia eodem ordine, quo procedunt,» id est, ea prorsus methodo, qua scripta sunt. Addit vulgatus interpres: «(Et quidem scribi rerum capita, ne excidant e memoria, expedit,)» nempe temporis distributionem; quod iam ex hispanico textu intelligi facile erat; at placuit expresse dicere.

CAPVT III

DE TRIPLICI GENERICA RATIONE TRADENDI AC SVSCIPIENDI EXERCITIA

His itaque praeiactis, distinguendae nunc erunt rationes quaedam tum generales, tum speciales, tradendi Exercitia, quae iuxta Beati Patris documenta mentemque servari possunt. Porro huiusmodi formae, quae certe complecti debent ea, quae in Exercitiis substantialia sunt, aut id, quod in eorum methodo est magis substantiale, sub triplici genere continentur, et vocare placet exercitia *rigida*, *temperata*, *compendiaria*. In quovis genere requiritur spatium octo saltem dierum: breviori enim tempore vix obtinetur habitus ille cognitionum affectuumque per Exercitia gignendus. Quamobrem licet dies quinque sufficiant ad lucrandam indulgentiam, facientibus Exercitia concessam; id tamen

indultum est, ut supra dicebamus, in solatium illorum, quibus diutius Exercitiis vacare non licet. Sed iam singula exponamus.

Exercitia *rigida* voco illa, in quibus per octo saltem dies continuos quatuor horas mentali orationi, summo ab omnibus secessu, tribuuntur, adiuncta spirituali lectione, solitisque devotionibus. *Spiritualem*, inquam, *lectionem*, punctorum nempe, aliorumque librorum, qui lecta puncta foveant, nedum ab iis divertant. *Solitas devotiones* intelligo, operum oblationem postquam e lecto surrexeris, sacrum facere aut audire, examina, obsequium aliquod Virgini Deiparae praebitum, et huiusmodi alia.

Exercitia *temperata* erunt, in quibus per octo saltem dies continuos, non quidem quatuor horas, at nec pauciores quam duas, mentali orationi vacetur, servata secessione, lectioneque ac devotionibus, ut supra, adiectis.

Exercitia *compendiaria* constant octo saltem diebus, dimidio ad minimum horae orationi mentali tributo, cum secessione, lectione, ac devotionibus, ut supra.

Haec sunt tria genera, quae diximus: quorum nomina et notiones ad communem loquendi modum, eorumque sententiam, qui de Ignatianis Exercitiis scripsere, accommodavimus. Triplicis huiusmodi generis notitia non potest non afferre aliquid luminis tum iis, qui exercentur, ut noverint quaenam agant exercitia; tum Instructoribus, ut sciant quaenam tradant; et utrique, sive in accipiendis, sive in tradendis, diligentiores sint.

Iam ad explicandas species sub hoc triplici genere contentas, transeamus.

CAPVT IV

DE TRIPLICI EXERCITIORVM SPECIE SVB VNOQVOQVE E TRIBVS HISCE GENERIBVS CONTENTA

Triplex sub singulis generibus species distingui potest. Exercitia enim rigida, quae primum genus constituunt, fieri possunt: primo, per triginta dies, tribuendo mentali orationi quinque horas, ac surgendo media nocte: ita fiebant, quando primum a Sto. Ignatio invecta sunt; secundo, per dies pauciores quidem quam triginta, plures vero quam octo, puta per viginti, quindecim, aut decem; tertio, per octo dumtaxat dies.

Hic animadvertere oportet sola rigida huiusmodi Exercitia esse potissimum Ignatiana Exercitia, eaque tantummodo *plena* seu *integra* vocari posse. Compendiaria enim continent dumtaxat ea, quae sunt magis substantialia: temperata vero licet substantialia omnia complectantur, quum et mentali orationi temporum sufficientem numerum tribuant, et singula tempora unius horae spatium compleant; minorem tamen efficaciam, quam rigida, continent. Quapropter, quae in his commentariis tractamus, ad rigida potissimum exercitia referuntur; licet ad duo reliqua genera, temperata et compendiaria, certe applicari possunt.

Porro triplex species sub secundo genera contenta, ita distinguitur. Prima continet horas tres mentali orationi tribuendas, ast ita distributas: primo, tres horae quadrantes mane postquam e lecto surrexeris; secundo, tres itidem ante prandium; tertio, primo tempore vespertino; quarto tandem, tres ante coenam. Secvnda species iisdem temporibus in prima assignatis dimi-

dium horae tribuit mentali orationi, ita ut duae tantum horae, quotidie orationi vacetur. Duplex huiusmodi species fieri solet magna secessione, atque a multis simul in religiosa aliqua domo, vel quae sit ad Exercitia destinata; ubi saepe, qui exercentur, conveniunt ad audienda, sive puncta, sive sacrum aut communem adhortationem, ad rosarium recitandum, etc., qua quidem rerum varietate levius fit onus Exercitiorum. Tertia tandem species duas complectitur mentalis orationis horas; alteram mane, postquam surrexeris; alteram, ante vel post coenam. Qua nempe ratione illi exercentur, quibus nullum aliud interdiu suppetit tempus, quam duo assignata. Quoniam vero tempus mentali orationi tributum brevius est, quam ut substantialia omnia Ignatianorum Exercitiorum rite percurri possint; operae pretium erit, ut haec species Exercitiorum sexdecim dierum, non pauciorum, circulo absolvatur; qui videlicet modus similis ei erit, quem S. Ignatius illis, qui in tertia dispositione versantur, assignat, ut consideranti patet.

Denique triplex species, sub tertio genere contenta, est huiusmodi. Prima, in qua per sesquihoram quotidie mentali orationi vacatur, tres nempe horae quadrantes ante meridiem, et tres post meridiem. Secvnda, in qua mentaliter orando una hora insumitur singulis diebus, dimidia ante prandium, et dimidia post prandium. Exercitia porro duplicis huius speciei publice fieri solent in templo aliquo, coque conveniunt fideles, ibique duas circiter horas pie occupantur: initium enim sumitur a brevibus nonnullis precibus, ad rem facientibus; deinde sequitur adhortatio; tum leguntur meditationis puncta, quae continuo mente au-

dientes recogitant; solentque sub singulis punctis affectus respondentes ab eo, qui proponit puncta, excitari, deque transitu ad aliud punctum auditores admoneri. Tertia demum species complectitur octiduana Exercitia, in commemorationem instituta raptus illius, quo Manresae dignatus est S. Ignatius, a sabbato ad sequens sabbatum. Convenientes in templum Christi fideles, dimidiam horam meditantur praecipua Bti. Patris Exercitia, plerumque ad hebdomadam primam pertinentia, neque penitus omissis, quae ad reliquas hebdomadas spectant. Postquam dimidiam horam mentaliter oraverint, preces nonnullas, ad eum finem institutas, per alteram dimidiam horam voce recitant.

Hactenus de Exercitiorum speciebus, ad quarum normam aliae excogitari possunt, iuxta diversam aetatem, indolem, statum, regionem eorum, qui exercendi sunt. Alia enim aliis utiliora sunt: aliter alii movendi sunt ad affectus oratione mentali excitandos concipiendosque, quod est hac in re praecipuum. Neque id a Bti. Patris mente abhorret, cui optime illud Apostoli applicari potest: «Omnia omnibus factus sum, ut omnes facerem salvos [1].»

Meminerint porro Instructores, ut in exponendo nuper tertio principio dicebamus, Ignatiana Exercitia, quacumque tandem ratione fiant, dirigenda semper esse, ad assequendum triplicem illum finem, quatuor nempe affectuum genera, methodum vitae christianae, et continuam Dei praesentiam. Quamobrem, non modo dum puncta proponit eo collineet Instructor; verum etiam in adhortationibus, maxime in Exercitiis tempe-

1 1. Cor. IX. 22.

ratis et compendiariis, illos pertractet, praesertim secundum ac tertium: primi enim tractandi aptius tempus est quando puncta explanantur.

Itaque post explicatam in una alterave adhortatione naturam Exercitiorum, necessitatem eorum agendorum, liberalitatem magnumque animum, quibus suscipienda sunt, magnam in Deum eiusque beatissimam Matrem fiduciam, et, ubi non tradantur scriptis, additiones ad recte orandum; optimum factu erit, si reliquis in adhortationibus accurate edoceat auditores de devotionibus occupationibusque ad methodum christianae vitae instituendam idoneis: semel saltem de gerenda divina praesentia agat; finemque imponat adhortando ad perseverantiam, ad quam obtinendam, medium aptissimum ipsam christianae vitae methodum, Deique praesentiam, commendabit.

Haec dicenda duxi de Ignatianis documentis circa diversam rationem, qua tradi ac fieri possunt Exercitia. Non desunt aliae rationes ea tradendi. Traduntur in Missionibus, maxime quae pertinent ad primam hebdomadam; traduntur in dirigendis audiendisque poenitentibus, quoties ad christianam vitam perfectionemve informantur, iuxta methodum in Exercitiis servatam. Fieri etiam possunt in triduo, quod festos aliquos dies sollemniores praecedere solet: item in mense iulio qui Beato Patri, quod postrema eius luce in caelum migrarit, sacer est: singulis enim diebus, praeter vocales, quae recitantur, preces, exercitium aliquod proponi potest considerandum.

CAPVT V

DE SECESSIONE SERVANDA IN EXERCITIIS

Agit tandem S. Ignatius in ipsa Adnotatione vigesima de secessione servanda, dum Exercitia peraguntur. Quamvis autem secessionem ab eis potissimum exigit, qui rigida Exercitia faciunt; ex causis tamen, quibus illam commendat, intelligitur ipsius mens, ut secessio illa in omni Exercitiorum genere, eiusque omni specie, servetur. Tantique id momenti esse ducebat, ut quum nondum tunc temporis exstarent Domus Exercitiorum, neque in usu esset, ut in religiosam aliquam domum se reciperent illi, qui exercitiis excoli cupiebant; eos hortabatur, ut in privatam domum alienam secederent; ne videlicet domesticorum societatate impedirentur: «Ita ut, ait S. Pater, in eius potestate sit ire quotidie ad Missam et ad Vesperas:» ac proinde facilius poterit sine nota in templo permanere.

Addit S. Pater: «Via ordinaria, eo plus proficiet, quo magis segregaverit se ab omnibus amicis ac notis et ab omni sollicitudine terrena.» *Via*, inquit, *ordinaria*, seu ordinaria ordinatave, (ut loquuntur Theologi,) providentia Dei, qui in effectis producendis, ad rerum dispositiones atque ordinem sese accommodare solet. Vbi apparet, primo, voluntatem longe progrediendi in Exercitiis, sine huiusmodi secessione, non esse a Deo, et iuxta ordinatam eius providentiam; secundo, segregationem debere esse non exteriorem modo, seu corpoream; sed interiorem etiam, ac spiritualem, i. e. «ab omni sollicitudine terrena,» ut loquitur S. Pater: imo hanc esse potiorem; corpoream vero, esse medium ad hanc spiri-

tualem obtinendam: ac de utraque simul intelligendum est illud [1]: «Ducam eam ad solitudinem, et loquar ad cor eius.»

Vt autem huiusmodi secessionis ostendat utilitatem, triplex commodum quod ex ipsa provenit, affert explanatque: quae quidem captu sunt facilia, neque ulteriori indigent explicatione: suntque illa, dispositiones quaedam ab ordinata Dei providentia in nobis requisitae, ut ipse in anima nostra operetur.

Circa tertium commodum, illud animadvertimus, sententiam illam: «Quanto magis anima nostra reperit se solam et segregatam, [tanto] se reddit aptiorem ad appropinquandum Creatori ac Domino suo,» praeterquam quod secundam causam, ibi allatam, confirmat, continere doctrinam illam, quam supra diximus traditam Ignatio fuisse a Christo eiusque Matre beatissima, tamquam primum fundamentum methodi Exercitiorum, nempe, totam quaerendae inveniendaeque divinae voluntatis difficultatem, oriri ex difficultate tollendi a nobis omnes inordinatas affectiones.

Hactenus exposuimus prologum libri Exercitiorum Sti. Ignatii: nihil enim sunt aliud viginti Adnotationes. Verum, quorsus prologus huiusmodi adeo copiosa? Equidem existimo voluisse B. Patrem significare, quanti suum libellum fecerit, quamque optarit, ut Exercitia accurate peragerentur; quum tam magno apparatu, et Instructores, et eos, qui exercentur, instruxerit. Eadem et apud nos existimatione esse debent; reputantes et magnum Dei beneficium posse nos huiusmodi excoli Exercitiis; et eximium charitatis opus, si

1 Oseae. II. 14.

in aliis ad ea facienda alliciendis, cooperemur. Quo tandem acrius ad tantum opus aggrediendum stimulemur; finem priori huius commentarii parti imponam, afferendo triplex B. Patris testimonium, ex quo luculentius patebit, quam alte de suis Exercitiis senserit, quamque optarit ut accurate traderentur.

Primum testimonium habetur in Constitutionibus P. IV. Cap. VIII. §. 5., ubi Sacerdotibus Societatis ita loquitur: «Ad Exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant; et dent operam omnes, ut et eorum reddere rationem, et in hoc armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) dexteritatem habere possint.» Et in Declaratione *E* huic capiti adiecta: «Quum vero, inquit, Exercitiorum ratio redditur, non solum id agatur, ut aliis satisfiat, sed etiam ut in illis desiderium excitetur ut eisdem iuvari velint.»

Secundum testimonium eruitur ex Instructione de suis Exercitiis, P. Ioanni Alonso Victoria tradita, quam supra citavi: ubi explicans qua ratione viri Societatis alios allicere prudenter debeant ad peragenda Exercitia, Confessarios primo admonet: «Ordinaria se experientia compertum habere, nullum aptius esse tempus hortandi ad Exercitia facienda, quam inter audiendas confessiones; id vero non ex abrupto, sed data occasione.» Deinde, ad alios etiam, qui confessiones non audiunt, alloquens, «Pariter, addit, quando ex sermonibus, quos nobiscum miscent, intelligimus eos anxios, sive quod negotia minus prospere succedunt, sive quod a parentibus cognatisque minus bene tractantur, aut simili alia de causa; tunc dici eis potest:

existimo solatio vobis fore, et rebus omnibus gerendis magnopere consultum iri, si ad peragenda Exercitia vos reciperetis.» Et docet efficax futurum esse consilium, «si prius significaverimus, miserrimos esse homines, qui alii, quam Deo, placere laborant.»

Tertium tandem testimonium reperitur in litteris a Bto. Patre datis Venetiae, ubi nuper Theologiae cursum confecerat, ad Doctorem Emmanuelem Miona, natione lusitanum, olim Ignatii confessarium, qui tunc Parisiis degebat, et postea Societatem est ingressus. Est porro huiusmodi: «Magnopere opto de tuarum rerum successu fieri certiorem: neque id mirandum, quum a te in rebus spiritualibus, tamquam a patre, ego filius tot beneficia acceperim. Et quoniam et amori et studio, quod semper in me ipsis etiam operibus, ostendisti, respondere aequum est; aliunde vero nescio qua ego alia ratione vel minimae tui in me amoris scintillae in his terris satisfaciam, quam si te adducam, ut per integrum mensem Spiritualibus Exercitiis vaces, sub eo Magistro [1], quem tibi ego constituam, ut olim es mihi pollicitus; per Deum Dominum nostrum oro, ut aut si quidem illud expertus fueris et gustaveris, ad me scribas, aut si nondum feceris, per Dei amorem mortemque acerbissimam efflagito, ut manus operi admoveas. Quod si te facti poeniteret, praeter poenam, quam imponere placeat, (quamlibet accipio), praedices me licebit spiritualium personarum fraudatorem.» Neque his contentus, eamdem inferius iterat petitionem his verbis: «Iterum et saepius quantum valeo illud efflagito per Deum ac Dominum nostrum, quod su-

1 Creditur Magister hic fuisse B. Petrus Faber.

perius dixi: ne forte in extremo tempore a Divina Maiestate corripiar, quod totis meis viribus te non exoraverim. Est enim illud, quo nihil melius in hac vita cogitare, sentire atque intelligere possum; tum ut homo ipse proficiat, tum ut in aliis multis fructum capiat, eosque iuvet atque in melius provehat,» etc.

PARS ALTERA

EXPLANATIONES IPSORVM EXERCITIORVM

SECTIO I

PRAEAMBVLA AD VNIVERSA EXERCITIA

CAPVT I

DE INSCRIPTIONE A STO. PATRE IGNATIO EXERCITIIS PRAEFIXA

Inscriptionem illam «Exercitia Spiritualia» non ante viginti Adnotationes posuit B. Pater, quia in eis nondum piis exercitationibus excolitur ille, qui Exercitiis dat operam; excoli vero incipit meditatione de *Principio et Fundamento*, examinibus, aliisque, quae nunc proponit S. Ignatius. Praeterea simplicitas illa, qua auctor opus exarabat, sufficiens ei causa fuit cur opusculi inscriptionem hactenus differret. Quae quidem simplicitas in eo etiam splendet, quod, ut habetur in textu hispanico, priori loco posuit titulum illum «Prima Hebdomada,» quam inscriptionem «Exercitia Spiritualia;» contra quam ordinis ratio videtur postulare: quum enim inscriptio «Exercitia Spiritualia» universum opus afficiat, titulus vero «Prima Hebdomada» ad solam hebdomadam primam contrahatur; inscriptio illa erat profecto huic titulo praeponenda. Nempe B. Pater prius e mente deprompsit, quod acrius eam percellebat: corrigere tamen iussit, aut passus est, in latina versione, ubi uterque titulus debito cum ordine collocatus legitur.

Nos etiam menti Sti. Parentis religiosius inhaerentes, prius generalem illam Exercitiorum inscriptionem,

quam primae hebdomadae titulum commentabimur. Porro duo in hac inscriptione sunt notatu digna. Primvm est, idem prorsus in ea contineri, licet diversis vocibus expressum, quam in prima Adnotatione docuerat auctor, definiens Exercitia Spiritualia sibi perscribenda, et praestituens triplicem eorum finem, quando ait, modum quemlibet praeparandi ac disponendi animam ad tollendas affectiones omnes male ordinatas, et iis sublatis, ad quaerendam et inveniendam voluntatem Dei, circa vitae suae institutionem, et salutem animae, exercitia vocari spiritualia. Idem, inquam, utroque in loco dicitur. «Vincere enim seipsum non determinando se ob ullam affectionem, quae inordinata sit» nihil aliud est, quam «affectiones omnes male ordinatas tollere,» quadruplex nempe illud affectionum genus, quadruplici hebdomadae respondens, in quo situs est primus Exercitiorum finis. Praeterea, «vitam ordinare» et «vitam disponere» nihil omnino differunt, et utraque loquendi ratione significatur Methodus christianae vitae, secundus finis Exercitiorum.

Si quid autem exstat discriminis, illud est, quod ibi, in prima Adnotatione exprimitur divina voluntas inquirenda atque invenienda, seu divina praesentia, (tertius, isque princeps, finis Exercitiorum:) heic vero ea siletur. Quo ipso silentio videtur S. Pater docere nos voluisse, continuam Dei praesentiam adeo per quatuor illa affectuum genera et per methodum christianae vitae confirmari, ut iis positis, illa abesse nequeat: neque proinde opus est, ut iterum exprimatur.

Altervm notatu dignum est, verba illa Adnotationis primae «tollere affectiones omnes male ordinatas,» seu quadruplex genus affectionum, respondere loquutioni

in hoc titulo adhibitae «vincere seipsum,» seu, quod idem est, «se mortificare,» «abnegare se,» «odio sancto se odisse:» quae loquutiones omnes in Sacris Scripturis saepe usurpantur ad illam virtutem exprimendam, qua inordinatis animi affectionibus resistimus; quod idem hic significatur. Vox tamen illa «vincere se,» utpote rei militaris propria, placuit viro militari: qua in re Christus eiusque Mater beatissima censendi sunt morem gessisse et sese attemperasse bellico Ignatii ingenio, inter armorum strepitum enutriti; quem videlicet disponebant ad sacram familiam instituendam, quae militari nomine «Legionis [1] Iesu» insignienda erat. Innuit praeterea vox illa victoriae laudem; depingitque hominem, licet in se unum, at gerentem vicem duorum, superioris, inquam, nobiliorisque, qui ratione ductus, honestique appetens, inferiorem vilioremque hominem devincit, ad ignobilia sensuum oblectamenta, pecudis more, diffluentem.

CAPVT II

DE PRIMA EXERCITIORVM HEBDOMADA IN GENERE

Quamvis ex his, quae in Sect. II. Partis primae fusius explicata sunt, satis intelligi possit, quid ad singulas Exercitiorum hebdomadas pertineat; lectores tamen oramus, ne aegre ferant, si in quaque hebdomada breviter repetamus, quae ibi tractata sunt. Nam, praeterquam quod ipsa operis et plenitudo, et perspicuitas, haec veluti praeambula videntur postulare; certe altius

1 Hispanicum nomen *Compañia*, sensu militari acceptum, non *Societas* sed *Legio* vertendum est.

in animis defigetur tam mirandae methodi notitia. Omnis enim accuratae methodi proprium est, tum ut simplici fundamento, apertisque principiis innitatur; tum ut in eorum explicatione inter partium consonantiam nonnulla deprehendantur abstrusiora et captu difficilia. Hanc vero difficultatem minuere optarem, etiam cum aliqua consuetae brevitatis iactura; eo quod magni profecto sit momenti plenior huius methodi cognitio, tum speculativa, tum practica, non Instructoribus modo, sed vel ipsis etiam, qui exercentur. Ne vero novitatis illecebra omnino desit, nonnihil dicemus, quod nondum fuerit dictum: supponimus tamen, bene lecta fuisse, recteque intellecta, quae ibi in laudata Sectione sunt explanata; et quoties dubium inciderit, fore, ut non pigeat illam iterum adire.

Tria ergo initio cuiusque hebdomadae explicabimus: *primum,* affectus virtutum illius hebdomadae proprios, simulque allatas a S. Patre exercitationes esse ad eos excitandos maxime idoneas; *secundum,* quomodo, ne ipsorum affectuum multitudo mutuo se impediat, illis potissimum insistat, qui sunt efficaciores, et aliorum fundamentum, quibus nempe adquisitis, caeteri facilius exerceri poterunt, quandocumque opus fuerit: tum qua arte affectus praecedentium hebdomadarum in sequentibus evehat perficiatque B. Pater; in quibus duobus, ut supra diximus, stat Ignatianorum Exercitiorum praecipuum artificium; *tertium* denique, nonnulla attingemus, quae ad quamque hebdomadam generatim pertineant, et maioris esse momenti videantur.

Ad id autem, quod promittimus, fructuosius efficiendum, illud est in memoriam revocandum, quod in laudata Sectione docuimus tamquam fundamentum Igna-

tianae methodi, id est, totam difficultatem in quaerenda inveniendaque voluntate divina, seu in continua Dei praesentia gerenda, ac proinde in obtinenda animi salute ac perfectione, consistere in tollendis inordinatis (seu divinae voluntati contrariis) affectionibus ad mundana bona, divitias, honores, voluptates. Item, inordinatas huiusmodi affectiones duplicis esse generis: alias continere inordinationem peccati, seu contrariam divinae legi; quae quidem, utpote peccatum (sive letale, sive veniale), continentes, propriam malitiam minus abscondere possunt: alias vero inordinatione infici mere culpabilis defectus, id est, contra divina dumtaxat consilia; quae quidem inordinatio, utpote peccato carens, latere solet. Posteriores has denique affectiones, ex diverso gradu, quo propriam malitiam celant, subdividi in tres species: prima est earum, quae nonnihil utique malitiam abscondunt, suntque inordinatae affectiones cum mere culpabili defectu ad bona mundana in genere, nulla ratione habita perpessionis gravium malorum, neque spiritualium praetextuum; secunda earum, quae magis iam malitiam obtegunt, continentque inordinationem mere defectus culpabilis, et versantur in bonis mundanis, ita ut a gravibus malis perpetiendis abhorreamus: tertia earum, quae et multo magis operiunt malitiam, et versantur in bonis mundanis sub spirituali praetextu, deordinationem mere culpabilis defectus continentes.

Diximus tandem, in huiusmodi divisione contineri quadruplex illud inordinatarum affectionum genus, quas S. Ignatius in quatuor Exercitiorum hebdomadis a nobis tollere nititur, inducendo quadruplex affectuum genus, pertinentium ad virtutes illas, quae aut

inordinatis affectionibus directe adversantur, aut speciali ratione huiusmodi oppositionem fovent.

CAPVT III

DE FINE PRIMAE HEBDOMADAE, DEQVE MEDIIS AD ILLVM OBTINENDVM A STO. PATRE ADHIBITIS

Hisce praeiactis, tria, quae praecedenti capite promisimus, in hac prima hebdomada explicabimus.

Quod ergo pertinet ad affectus huius hebdomadae proprios, facile consideranti patet, agi hic de affectibus illarum virtutum, quae aut directe opponuntur inordinatis affectionibus deordinatione peccati, aut huiusmodi oppositionem speciali modo fovent. Directe quidem peccato opponuntur, utpote peccati odium includentes, attritio, contritio et proposita emendationis, quae ex eis fluunt; praeterea humilitas, confusio ob admissum peccatum, poenitentia, etc. Illam vero oppositionem fovent bonorum mundanorum, quatenus vilissima sunt, contemptus; et quatenus periculosa, odium; timor etiam poenarum, a Deo infligendarum, maxime in vita futura; denique spes remunerationis. Haec enim licet immediate peccato non opponantur; tamen aut impedimenta removent, aut propter similitudinem, quam cum prioribus illis virtutibus gerunt, voluntatem, contra peccatum conantem, corroborant: in quo tota ratio consistit fovendi speciali ratione directam contra illud oppositionem.

Circa utramque harum virtutum speciem animadvertenda sunt haec tria: primum, ex diversis earum motivis facile posse aliam ab alia secerni; secundum, in uno eodemque actu saepe plures simul virtutes com-

misceri; tertium, cum aliis tandem virtutibus coniungi solere, quae neque peccato directe opponuntur, neque speciali ratione oppositionem hanc fovent. Quamobrem, quum probe intelligeret S. Ignatius, aptissimam esse materiam ad virtutum huiusmodi affectus excitandos, admissa peccata et hominis novissima, ut in saepe laudata prioris partis sectione diximus; hanc eamdem materiam exercitiis primae huius hebdomadae praescripsit. Statuto igitur Principio et Fundamento, seu ultimo fine hominis, (quod, ut nomen ipsum declarat, veluti sustentat totam Exercitiorum fabricam, et omnium primum statuendum erat;) continuo proponit et varia examina, et confessionem, adversus admissa peccata; deinde exercitia de peccatis cum repetitionibus; tandem exercitium de poenis damnatorum, quod est omnium novissimorum terribilissimum: Instructores vero admonet, licere, si quidem expedire iudicaverint, alia exercitia addere de morte, de iudicio, etc. Quae omnia, quam accurata methodo proponantur, ex dicendis patebit.

Iam ut alterum, quod promisimus, explicemus, quomodo nempe insistat S. Ignatius in affectus illos et virtutes, quae et efficaciores sunt, et caeterarum fundamentum; duo hic sunt prae oculis habenda.

Primvm est, quamvis oporteat, ut iis, qui exercentur, ex mentali oratione affectus illos eruere conentur, quos proponit et excitare contendit Instructor; posse tamen, imo debere alios admittere et fovere, quoties illis se permoveri senserint, aut eos sibi fore cognoverint utiliores. «Spiritus, enim, ubi vult, spirat [1]:» neque

1 Joan. III. 8.

eadem est omnium ad eosdem affectus dispositio; quae quidem Instructorem plerumque latet: neque eadem sunt omnium adiuncta; sed aliae virtutes aliis magis conveniunt; aliae in aliis prius inducendae sunt. Quare S. Ignatius, etiamsi in petitione exprimere solet affectus communiter in quoque exercitio excitandos; supponit tamen, posse etiam alios excitari, qui illis valde similes sint, aut cum ipsis connexi; neque rem adeo determinat, ut multis aliis affectibus locus non pateat; ulteriorem eorum determinationem ipsis, qui exercentur, committendo; qui scilicet, divina gratia, optima in hac re magistra, spirante, aptissimos affectus excitabunt. Huiusmodi documentum, quod quidem ad omnes hebdomadas extenditur, primae huic hebdomadae magis est necessarium, in qua Instructores excipiunt eos, qui ad Exercitia, accedunt, expertes illarum dispositionum, quibus instructi progrediuntur ad reliquas hebdomadas, postquam nempe praecedentium hebdomadarum affectibus excitandis iam incubuere.

Secvndvm est, aliter agi de virtutibus a doctoribus, aliter in Exercitiis. Doctores enim illas in varias species distribuunt, earum numerum et ordinem assignant; eo nempe fine, ut praecipuarum notissimarumque praxin doceant, ad quarum similitudinem caeterarum exercitatio addisci possit. In Exercitiis vero agitur de virtutibus adquirendis, quae quidem, (ob triplicem causam supra allatam, de differentia motivorum, de illarum inter se commixtione, et cum aliis coniunctione), innumerae sunt, earumque species et ordines multiplicantur, et infinitam paene induunt varietatem. Optimo igitur iure S. Ignatius minus eas determinate

illis, qui exercentur, proponit, ipsorumque praxi committit, ut nuper dicebamus.

Quamvis autem haec ita se habeant; tamen S. Pater iam in prima hac hebdomada insistit in affectibus illis ac virtutibus, quae reapse efficaciores sunt et aliarum fundamentum, sensu quo haec verba usurpamus, quatenus nempe adquisitis earum habitibus, reliquae facilius exercebuntur, quoties se occasio obtulerit: sedulo enim nititur excitare in primo exercitio attritionem, contritionem in secundo, et proposita utrique respondentia in utroque; poenarum a Deo infligendarum timorem, contemptumque tum bonorum, tum etiam malorum, quae in hac vita accidunt, in exercitio de poenis damnatorum, ut legenti ipsum textum, et supposita a nobis adnotationes, patebit. Qui videlicet affectus quam sint in se efficaces, quam solidum aliorum fundamentum, res est aperta; neque est cur in his enucleandis diutius immoremur.

Restat explicandum tertium illud, quod supra promisimus, generalia quaedam et maioris momenti ad hanc primam hebdomadam spectantia. Dicimus ergo, triplici potissimum de causa magni hanc hebdomadam esse faciendam. Prima causa est, quia est omnium hebdomadarum maxime necessaria, ut ex fine ipsius peculiari constat: in ea enim mundamur ab omni peccato, nosque contra ipsum tuemur; quo sane si quis inquinetur, ab aeterna salute excluditur; si vero sit immunis a peccato, salutem obtinebit. Secvnda causa est, quia in ea, tamquam in fundamento, reliquae innituntur: odium enim ac detestatio peccati, omnisque actus divinae legi adversantis, est fundamentum odii eorum omnium, quae includant culpabilem defectum contra

divina consilia; ad quod odium concipiendum evehimur in reliquis hebdomadis. Neque ad haec sine illo odio disponeremur: qui enim a maiori malo non abhorret, multo minus abhorrebit a minore, quale est mere culpabilis defectus. Tertia causa est, fructus quidam excellentissimus, qui in prima hac hebdomada capitur, nempe acrior peccatorum cognitio, Deique timor ex admissis sceleribus, a quibus mundari conamur, duce Bto. Ignatio; certitudinemque illam ac securitatem (quantum in hac vita haberi potest), de dimissis peccatis, per accuratam eorum confessionem, etiam generalem, si quidem iudicio prudentis Confessarii necessaria nobis utilisve fuerit, nitimur adipisci. Quam quidem certitudinem, si dono miserentis Dei nanciscamur; illos tamen dies in deflendis iterum sceleribus transigimus: idque, teste experientia, plurimum pacis ac solatii afferre animo solet, maxime imminente iam morte.

Verum quidem est, ex doctrina Concilii Tridentini, Sess. 6., non dari in hac vita certitudinem positivam cum firma mentis adhaesione de statu gratiae, excepto casu divinae revelationis, iuxta illud «Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit [1];» certitudinem vero negativam, prudens de contrario dubium excludentem, et possumus, et debemus, cum gratia Dei habere.

1 Eccl. IX. 1.

CAPVT IV

DE DOCVMENTO QVOD ANTE PRINCIPIVM ET FVNDAMENTVM REPERITVR

Antequam ostendamus, quam plenum sit charitatis documentum illud, quod immediate ante Principium et Fundamentum tradidit S. Ignatius; operae pretium erit, causas afferre, ob quas illud nobis reliquerit, et in ipso operis exordio collocarit. Ab ipsa enim sui in Deum conversione, ministerium tradendi aliis sua Exercitia, eaque in mundum invehendi, tamquam sibi potissimum amplexus est: idque primo, privatis colloquiis agebat; deinde, Barcinone degens, maiori veluti sollemnitate prosequutus est; tandem, toto vitae spatio in alliciendis hominibus ad peragenda Exercitia, quanta potuit ope, desudavit. Virtutem novorum huiusmodi spiritualium armorum agnovit ac doluit humanae naturae hostis: quae ut illi e manibus eriperet, aut ut eorum saltem virtutem labefactaret; difficile dictu est, quot in S. Ignatium persequutiones concitaverit, ut eius existimationem, ac proinde Exercitiorum vim, redderet suspectam. Barcinone enim, quum redux ex Hierosolymitana expeditione, operam grammaticae daret, fustibus caesus, et prope mortuus relictus est. Compluti, ubi philosophiae studio vacabat, duos et quadraginta dies in carcere est detentus; duos et viginti Salmanticae. Lutetiae tandem Parisiorum, ubi philosophica ac theologica studia absolvit, parum abfuit, quin poenae, et contumeliae omnium maximae, subiiceretur. Quorum omnium una erat causa, Spiritualia illa Exercitia et uberrimus fructus, qui in mo-

rum reformatione eorum, qui ea peragebant, cernebatur.

Quàmvis autem Ignatius, inexplebili ardens desiderio patiendi propter Christum, tantam ex huiusmodi vexationibus capiebat voluptatem, quanta verbis significari nequit: non pauci tamen viri, minus certe spirituales ac docti, quam ipsi de se cogitabant, libellum Exercitiorum, sibi ab Ignatio ingenue oblatum, legentes, in nonnullas ipsius assertiones offendebant, aut verius, offendere volebant. Hi quidem, mente minus recta, nonnulla contra doctrinam obiiciebant: neque eam rem cum Ignatio, ut decebat, sed cum aliis agentes, assertiones illas tamquam perniciosas et suspectae fidei damnabant; idque efficiebant, ut multi ab exercitiis faciendis deterrerentur, aut minori saltem eorum existimatione, animorumque fructu, peragerent: quod unum dolebat Ignatius. Idcirco ad haec mala praecavenda, quae certe et gloriae divinae, et animarum perfectioni, impedimento erant; documentum, de quo agimus, libro Exercitiorum addidit, idque in ipso initio collocavit, quo efficacius lectores praemunirentur. Quo tempore fieret huiusmodi additio, non constat. Verisimile videtur, factam non multo post quam Salmanticae e custodia eductus erat; ibi enim speciali cura Exercitiorum liber examini subiectus fuerat.

Sed, quidquid sit, videamus quam plenum sit charitatis Ignatianum documentum. Charitas enim, maxime inter christianos, postulat ut proximum diligamus, ideoque, quantum fieri potest, ut «salvemus,» id est, in bonam partem trahamus, ipsius assertiones; ut fit inter eos, qui mutuo se diligunt. Quod si quam eius assertionem aut loquutionem, eo quod sit obscura, (ut

addit vulgatus interpres), salvare non possumus; ex charitate etiam, humaniter ac sine arrogantia, inquirenda nobis est mens auctoris: ex charitate, inquam, ne videlicet, auctori aliisve noceat. Si minus recte sentiat alter aut intelligat, sive sensus illius assertionis sit in se falsus, sive perperam expressus, licet in re verus; pari ille amore et charitate corripiendus est. Si vero nulla eam ratione tutari posset; cum amore et charitate vias omnes opportunas tentet, quibus illum sanum intellectu ac securum reddat ab errore, quatenus aut verum assertioni sensum tribuat, aut propria ipsum loquutione significet. Quae omnia charitatem undequaque redolent, et virtutem fraternae correctionis commendant, ad quam pertinet hoc documentum.

Dicat fortasse quispiam: quando propositio est contra fidem, non satis esse, ut dicentis exquiratur mens, et ipse admoneatur; sed si contumacia accedat, deferendum illum esse ad Ecclesiasticum tribunal, cuius est hac de re iudicare, iuxta illud: «Quod si non audierit, dic Ecclesiae [1].» Iam vero nihil de hac re innuit Ignatius.—Facilis est responsio: quamvis enim S. Pater denuntiationem expressis verbis non loquatur, si quando tamen necessaria videatur, contineri censenda est in illis verbis: «Quaerat omnia media convenientia,» quorum unum est in casu ipsa denuntiatio.

Neque charitatis modo, verum bonitatis etiam et iustitiae plenum est huiusmodi documentum. Bonitatis quidem: omnis enim vir probus semper in bonam partem aliorum dicta trahere curat. Iustitiae vero, quia omnis homo ius habet, ut hac secum ratione ab aliis

1 Matth. xviii. 17.

agatur, «Nemo enim praesumendus est malus, nisi probetur.» Quot vitarentur peccata, si omnes iuxta hoc documentum operarentur!

CAPVT V

DE IPSA PRINCIPII AC FVNDAMENTI INSCRIPTIONE

Duo sunt de hac inscriptione nunc explicanda. Primvm est, quum S. Ignatius nomine Principii ac Fundamenti hominis finem significet, quumque huius finis consideratio sit ex cunctis exercitiis omnium praecipua; quam tamen ob causam neque exercitium eam, neque meditationem vocet, neque quid simile? Responderi potest, intellexisse Stum. Ignatium quamplures eorum, qui ad Exercitia accessuri erant, quid esset mentalis oratio ignoraturos; neque fervore illo ac tranquillitate, quibus par est, accessuros esse. Ne igitur deterrerentur illi, aut nimia premerentur defatigatione, si in ipso Exercitiorum aditu exercitium aliquod aut meditatio proponeretur rite peragenda, abstinuit ab omnibus his nominibus, neque meminit orationis preparatoriae, praeludiorum, et petitionis; atque in exponendo Principio ac Fundamento brevissimus fuit. Scilicet haec omnia Instructorum prudentiae commisit, qui accedentibus ad Exercitia, si eos ad habendam mentalem orationem deprehenderint imparatos, exponere debent quem in finem homo creatus sit, ut praecipitur in Adnotatione 19, et Stum. Ignatium egisse constat; dicant fore, ut postea meditationi vacent, magnamque ex ea capiant voluptatem; doceant interea quid sit mentalis oratio, quomodo sit agenda; detineant in examinanda conscientia, quae facillima res est: postquam vero

dispositi fuerint, exerceantur in mentali oratione, propositis punctis, atque, quantum opus fuerit, explanatis. Vnde patet quid includat titulus ille «Principium ac Fundamentum:» neque id aperire expediebat, ne tyrones deterrerentur. Et quoniam aliis plures dies, pauciores aliis ad obtinendam huiusmodi dispositionem necessarii erunt; ideo Stus. Pater in prima hac hebdomada non distinguit dies illo ordine, quo in reliquis expresse scribit *dies prima*, *dies secunda*, etc.; quod quidem est notatu dignum.

Ex his omnibus intelligitur, non esse contra mentem Sti. Patris hodierna praxis tradendi Principium ac Fundamentum per modum exercitii, cum oratione praeparatoria, compositione loci, etc. Quum enim notiora et magis usitata sint Exercitia, merito existimantur ii, qui ad ea accedunt, dispositi iam ad mentalem orationem ab ipso initio exercendam.

Alterum, quod explicandum sumpsimus, est, qua de causa exercitium de ultimo hominis fine vocaverit S. Ignatius «Principium ac Fundamentum.» Videntur hoc ei nomen Christus eiusque Mater beatissima suggessisse; tum quia multum continet doctrinae, tum quia ad meditationem rite de eo instituendam magnopere excitat. Vocat igitur Principium, ob similitudinem, quam gerit, cum principiis speculativis, seu certis atque universalibus propositionibus. Quemadmodum enim in re scientifica ex statutis principiis omnes postea conclusiones eruuntur; ita in spirituali scientia, quae est de christiana perfectione assequenda, et in quatuor Ignatianorum Exercitiorum hebdomadis continetur, ex veritatibus seu propositionibus, in ipso initio praestitutis, practica dictamina et bene operandi proposita sunt

in posterum deducenda. Praeterea, quemadmodum in aliis scientiis, si quis primorum principiorum obliviscatur, facillime in turpissimos errores labetur; eodem prorsus modo labetur quicumque huius spiritualis scientiae primarum harum veritatum propositionumve obliviscatur.

Vocat etiam Fundamentum, ducta analogia ex aedificiorum materialium fundamentis. Haec videlicet totam aedificii molem, universasque eiusdem partes, sustentant: quod evenit in hac meditatione, si rite explanetur, et ad mentem auctoris ad sese exercentium ingenium accommodetur: sustentat enim totam aedificii, spiritualibus lapidibus exstruendi, fabricam; universisque eiusdem partibus respondet. Deinde quemadmodum si materialia aedium fundamenta spatia vacua contineant, aut alio quocumque vitio laborent, periculum est ne totum aedificium brevi corruat; e converso autem, si rite sint perfecta, opus immotum manet: ita prorsus contingit in hac meditatione respectu spiritualis aedificii.

Notandum hic est, vulgatum interpretem mutasse coniunctionem copulativam *Et*, respondentem hispanicae coniunctioni *Y*, quae habetur in autographo, in disiunctivam *sive*, quae responderet hispanicae *O;* tamquam si nulla habenda esset ratio distinctionis inter voces «Principium» et «Fundamentum.» Discrimen facile componi potest: quatenus enim huic exercitio duo nomina tribuuntur ob similitudinem, quam cum duabus rebus diversis gerit, nempe cum principiis in re scientifica, et cum fundamento in materiali aedificio; certe voces illae synonymae non sunt, sed diversa significant, idque exprimit copulativa *et*. Quatenus

vero utraque illa similitudo spectatur sub una eademque ratione, utrique conveniente, nempe scatere hanc meditationem gravissimis, certissimisque, atque universalibus veritatibus; duo illa nomina significatione non differunt; suntque proinde synonyma, et postulant disiunctivam *sive*.

Est autem speciali reverentia dignum nomen illud «Fundamentum,» ob metaphoram, quam continet, saepissime in Sacris Litteris, ad res spirituales explicandas, usurpatam. Sollemnis inter alios est textus ille Apostoli ad Cor. [1] «Dei aedificatio estis; secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui.» Quae quidem verba in hac meditatione de ultimo hominis fine, potest S. Ignatius eis, qui exercentur, applicare, simulque illud eiusdem Apostoli adiungere: «Vnusquisque autem videat, quomodo superaedificet,» ad amusim, nempe, totam fabricam super illud fundamentum exstruat, ne materiem, calcem, caementa frustra insumat.

Neque obstat huic fundamenti appellationi illud, quod ibidem Apostolus docet: «Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus» seu fides in Christum Iesum: neque quod a Sanctis Patribus, imo ab eodem Ignatio alibi, dicitur, fundamentum spiritualis aedificii cunctarumque virtutum esse humilitatem. Non obstat, inquam: nomina enim *fundamentum, radix, origo* ac similia metaphorica sunt, et per quamdam similitudinem ad res spirituales tranferuntur, possuntque diversis virtutibus iuxta diversos respectus ac similitudinis relatio-

1 1. Cor. III. 9. 10.

nes, quae in ipsis considerantur. applicari. Itaque facile componuntur omnia: humilitas enim dicitur spiritualis aedificii fundamentum. quatenus veluti fossam in nobis cavat, vanamque nostri existimationem. qui nihil aliud quam mobilis labilisque arena sumus, expellit. Fides autem in Christum vocatur fundamentum, quia ponit in animo Christum Redemptorem. tamquam ingentem lapidem, universalem, firmissimum omnis spei, omnis meriti, omnisque beatitatis. Meditatio tandem de ultimo hominis fine dicitur Fundamentum, quatenus fundat quaedam practica principia et proposita. tamquam totidem particulares lapides, qui quum immediate iaceant in ipso fundamenti saxo fortissimo, nomen etiam fundamenti sortiuntur. iuxta modum loquendi in materialibus etiam exstructionibus usitatum.

CAPVT VI

DE FINE VLTIMO HOMINIS

Quamvis S. Ignatius in verbis illis, quae in autographo leguntur: *El hombre es criado para alabar, hacer reverencia,»* etc., ipso nomine *finis* expresse non utatur: illud tamen intelligit, ut vel ex eo constat. quod inferius bis ipsum exprimat, et vulgatus interpres reddat: «Creatus est homo ad hunc finem.» etc.

Huiusmodi finis intelligitur esse ultimus. ad quem omnes alii fines, homini liciti. reducantur: eique proinde, tamquam media, subordinentur. Simul ergo intelligitur esse unicus, sub ratione videlicet ultimi: repugnat enim esse duos ultimos fines: secus neuter esset ultimus ille. cui caeteri omnes subordinentur.

quum saltem non subordinaretur alter ultimus finis. Quam demonstrationem saepe affert S. Thomas. Est porro finis illud omne, quod propter se intenditur, estque scopus, ad quem tendit operatio: medium autem est illud, quod intenditur propter finem.

Quibus praenotatis, probe intelligamus oportet, tria illa, quae proponit S. Ignatius tamquam hominis finem, Deum laudare, revereri, eique servire, generali eorum verborum sensu, et in Sacris Scripturis usitatissimo, idem esse ac Deum glorificare, seu ut supra [1] diximus, quaerere et invenire divinam voluntatem: etenim Dei glorificatio est totalis hominis finis: neque alius esse potest finis cuiuslibet creaturae, quantacumque ea sit, quam Deum iuxta vires suo modo glorificare; id enim postulant tum divina attributa infinite perfecta, tum quod creaturae universae suum esse a Deo accipiant. Illa tamen tria, praeter generalem illorum verborum sensum, adhibet Stus. Ignatius in peculiari sensu, quem singulae exprimunt. Dei enim laudatio ac reverentia sunt duae glorificandi Dei excellentissimae rationes; perfecto utique modo in caelis exercitae; modo autem, quo possimus, in his terris exercendae: addit porro «Deo servire,» servitute videlicet complectente reliquas omnes glorificandi Dei rationes, et laborem illum exprimente, qui solet in servitio contineri, et in his terris potissimum exercetur a viatoribus, hac in re beatos caelites superantibus, quum propter Dei maiestatem pati aliquid possimus.

Sequitur S. Ignatius, et dicit *Y mediante esto, salvar su ánima,* quam loquutionem vertit litteralis interpres

1 Parte I. Sect. IV. Cap. IV.

«Et per haec [haec agendo], salvet animam suam.» Quo in modo loquendi vox illa *mediante* profecto non significat medii subordinationem, quum divina gloria, utpote ultimus finis, medium, proprie loquendo, esse nequeat. Significat ergo efficaciae securitatem dumtaxat, quatenus etiamsi finis hominis totaliter consistat in Dei glorificatione, imo neque alius esse possit ultimus finis reliquarum omnium creaturarum, ut postulant et divinae perfectiones et a Deo receptum creaturarum esse; ipsae tamen divinae perfectiones sunt causa cur Dei glorificatio, quae est hominis finis, infallibiter connectatur cum summo hominis bono, et sit animae salus, et causa promerendae consequendaeque beatitudinis. Vna enim e divinis perfectionibus est infinita bonitas quoad se, quae reddit eum summe bonum quoad nos.

Itaque hominis beatitudo est ei modus, quo Deum glorificare debet, ac proinde finis eius ultimus. Duo igitur respectus in hominis fine distinguendi sunt: prior, Dei glorificatio, quam (complectentes utique finem caeterarum creaturarum) postulamus in illa Dominicae orationis petitione: «Sanctificetur nomen tuum;» alter est animae aeterna salus, quam postulamus in secunda petitione: «Adveniat regnum tuum.» Prior duplicis huius respectus, ob infinitam Dei excellentiam, potius est ab homine spectandus, ut ordo ipse petitionum in Dominica oratione declarat, et significat etiam Stus. Ignatius, qui priorem illum respectum et priori in loco posuit, et copia verborum amplificavit: dicit enim «Deum laudare, ac revereri, eique servire» exponens priorem illum respectum; posteriorem vero paucis absolvit, inquiens «animam salvare.» Illorum prae-

terea verborum conglobatione «Deum laudare, ac revereri, eique servire» innuit Btus. Pater finem hominis esse Deum glorificare, non quomodocumque, sed quam maxime possimus, maiorem Dei gloriam quaerendo: quae quidem maior Dei gloria cum maiore hominis bono maiorique beatitudine, infallibili connexione coniungitur.

Tandem supernaturalem finis excellentiam, consistentem in supernaturali excellentissimaque beatitudine, consequenda per supernaturaliam erita adquisita per Dei glorificationem, praetermisit S. Ignatius, sicut et alia multa ad eumdem finem supernaturalem pertinentia: ne videlicet eos, qui primum ad Exercitia accedunt, deterreret; illorum autem explanationem Instructorum prudentiae commisit.

CAPVT VII

DE FINE ALIARVM CREATVRARVM SVPER TERRAM

Docet S. Ignatius, «reliqua, quae super terram sita sunt,» (nempe, reliqua a Deo creata; omnia enim aliquo modo super terram sita sunt, et saltem sub hominis potestate sunt ad profectum aliquem spiritualem per illa obtinendum), «creata esse propter hominem,» id est, ut homo eis utatur, «et ut eum iuvent in prosequutione finis, ad quem creatus est.» Omnia igitur alia ab homine, iuxta Stum. Ignatium, tradita ei sunt a Deo, quibus utatur, tamquam mediis ad consequendum finem; alia quidem, ut eis reapse utatur; alia vero, ut ab eis abstineat; alia tandem, quae sub hominis potestate videntur non esse, ut ab eis documentum aliquod, aut virtutis exercitationem, capiat. Omnia

igitur ab beatitudinem promerendam iuvant, quae est prior finis pars, iuxta quem Deus est in hac vita ab homine glorificandus; iuvant praeterea ad alteram eiusdem finis partem, seu beatitudinem certo obtinendam, qua in caelis glorificandus est Deus; et quia haec est pars praecipua *solet finis hominis* absolute nuncupari.

Vt autem appareat esse ab Instructoribus latius explananda ea, quae hic a S. Ignatio brevissime attinguntur; afferam duo capita ex litteris ab ipso ad Socios, Conimbricense Collegium incolentes, datis, in quibus de christiana perfectione agit. Sub allegoria militum Legionem Iesu constituentium, exponit sub nomine stipendii a Iesu suis militibus collati, ea media, de quibus est nobis sermo; et vi quadam et copia divina, imo et ingenti eloquentia, pertractat rem, quam quisque sibi poterit iuxta suum statum, atque alia adiuncta, applicare.

Summi Ducis Iesu, inquit «stipendium est quidquid a natura habetis et valetis, quandoquidem vobis dedit et conservat naturam vestram et vitam, omnesque partes et perfectiones animi et corporis, ac bona etiam externa. Stipendia sunt dona ipsa gratiae spiritualia, quibus adeo liberaliter ac benigne vos praemuniit, eademque vobis, inimicis licet ac rebellibus, conservat. Stipendia sunt inaestimabilia gloriae dona, quam vobis, quin ullum ipse possit ex ea percipere commodum, praeparavit atque promisit, vobis felicitatis suae thesauros communes esse volens, ut quod ipse est absoluta naturae suae perfectione, id tandem vos sitis eminenti gratiae suae communione. Stipendium est denique mundus universus et quidquid in eo corporeum et spirituale continetur: nostro enim ministerio addixit, non modo

quidquid caelo subest, sed totam etiam suam nobilissimam Curiam, quin caelestium ullam Hierarchiam immunem esse voluerit; quia «Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis [1],»

«Et si forte omnia haec stipendia non sufficiunt, semetipsum stipendium fecit, dans se nobis fratrem in carne nostra, pretium nostrae salutis in cruce, nostraeque peregrinationis viaticum et socium in Eucharistia. O! quam improbus est miles, cui tot stipendia non sufficiunt, ut ad operam sui principis honori dandam adigatur! quum certum sit, ut nos obligaret ad illum promptius desiderandum et procurandum, voluisse Maiestatem suam tam mirificis nos immensisque beneficiis praevenire; perfectissima sua felicitate se quodammodo suis bonis exuente, nobis ut ea communicaret, nostrasque miserias omnes assumente, ut nos illarum faceret immunes; se ipsum vendi volens, ut nos redimeret; infamari, ut nos gloria donaret; pauper esse, ut nos ditaret; usque adeo denique infamem mortem sibi diligere, ut immortalem ac beatam vitam nobis impertiret. O! quam ingratus nimium et durus est, qui se his omibus non agnoscit maxime obstrictum, ut perdiligenter Iesu Christo Redemptori nostro deserviat, atque honorem eius et laudem procuret!»

1 Hebr. I. 14.

CAPVT VIII

DE INDIFFERENTIA IN VSV CREATVRARVM

Singulae hebdomadae, imo et singula earum exercitia peculiaria, ut non semel iam monuimus, diriguntur ad obtinendos, tamquam proprium finem, speciales aliquos affectus, ac proinde cognitiones iis affectibus excitandis praerequisitas, quae et mentem illustrant, et fundant affectus: utraque haec innotescere debent ei, qui Exercitia suscipit, antequam ad orandum accedat, ut illa excitare curet, et in considerationibus eo collineet. Quamvis vero Stus. Ignatius expressiorem illorum affectuum determinationem ipsi, qui se exercet, committat; in petitione tamen, quae inter praeludia proponi solet, praecipuos assignat, qui vulgo excitandi sunt.

Porro tum cognitio, tum affectus, ex Principio et Fundamento excitandus, continetur in illis verbis «Vnde sequitur,» etc. Cognitio quidem est huiusmodi: quoniam hominis finis unice consistit in Dei glorificatione et propriae animae salute; aliunde vero creaturae universae relate ad hominem nihil sunt aliud, quam media ad illum finem obtinendum: sequitur illis esse homini eatenus utendum vel abstinendum, quatenus ad prosequutionem finis vel conferunt vel obsunt. Media enim, quatenus media sunt, nullam aliam continent bonitatem, quam utilitatem ad finem prosequendum, ut convenit inter omnes Doctores, et res ipsa per se evidens est.

Affectus autem, huic cognitioni respondens, est plena illa hominis indifferentia ad ea omnia, quae libero

suo arbitrio subiacent; (quae videlicet a Deo neque imperata neque vetita sunt; quae enim imperata sint, patet debere hominem amplecti, fugere vero quae sint vetita); ut iis utatur, vel ab eis abstineat, iuxta relationem ad obtinendum finem. Quo vero certior, tutior, ac perfectior sit huiusmodi indifferentia, extendi potissimum oportet ad illa, quae quum hominis arbitrio non subiaceant, possunt et ad finis prosequutionem conferre, et a fine avertere: ita ut non magis optet sanitatem, quam aegritudinem, (neque aegritudinem, magis quam sanitatem: id vero non exprimitur, quia res est minus obnoxia periculo), neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi praeferat; et sic de caeteris. Neque huiusmodi indifferentia iners esse debet; sed contineat oportet firmissimam animi promptitudinem ad quodvis eorum amplectendum, quantumvis asperum videatur, siquidem divina voluntas postulaverit; itemque fugiendum, quantumvis appareat delectabile, si divinae voluntati adversetur.

CAPVT IX

INDIFFERENTIAM, QVAM DOCET S. IGNATIVS IN PRINCIPIO AC FVNDAMENTO, NON OPPONI VIRTVTI ORATIONIS

Posset aliquis occasionem errandi ex dictis sumere, existimans hortari nos S. Ignatium, ut numquam optemus ea, quae nobis libera non sunt; neque proinde ea a Deo umquam postulemus, quum petitio includat desiderium; neque ab illo speremus, quum ipsa spes desiderium etiam contineat: ex quo plures alii errores, menti Bti. Patris omnino contrarii, facile orirentur.

Solidissimam ergo sanctissimamque hac de re Sti. Ignatii doctrinam breviter ostendam.

Sciendum in primis est, quando Stus. Ignatius dicit hoc in loco, non debere nos magis optare sanitatem quam aegritudinem, divitias quam paupertatem, et his similia, loqui se de his rebus sub eo dumtaxat respectu quod vel sint ad finis prosequutionem omnino indifferentes, vel ex aequo possint ad finem obtinendum conferre, aut ab eo avertere: qualia reapse sunt omnia, quae exempli gratia affert.

Loquitur praeterea non generatim de omni affectu, sed de eo solum, quem in hac consideratione cieri cupit: ad eum prorsus modum, quo in sexta ex decem Additionibus, huic primae hebdomadae appositis, hortatur «Vt cogitationes, quae gaudium offerunt, qualis est de gloriosa Christi Resurrectione, subterfugiamus:» ubi certe loquitur relate ad affectus, qui in prima hebdomada excitandi sunt; extra quam hebdomadam, apertissimum est, posse nos huiusmodi cogitationes admittere atque excitare. Quod quidem documentum caelestem sane continet prudentiam: quamvis enim nullus affectus bonus alteri bono affectui adversetur, ut docent Theologi, agentes de virtutibus, quatenus vitiis opponuntur; id tamen intelligendum est de bono affectu abstracte considerato, non de affectu, qui hic et nunc excitandus est.

His ergo rite intellectis, nemini praebebit errandi occasionem Ignatiana doctrina: imo sequitur ex ea, posse nos, ac debere optare, a Deo petere, ac sperare, tum nobis, tum aliis, illas res, quae nostro arbitrio minime subiacent, quoties eas deprehenderimus conferre ad finis prosequutionem, et quando de excitando in hac

finis consideratione illo indifferentiae affectu non agamus. Quin etiam, petere illa atque sperare possumus, non modo sub conditione, si nempe illa nobis conveniant, (hoc enim modo semper petere licet); verum etiam absolute, modo tamen iudicio absolute prudenti, licet non certo, iudicare possimus, illa nobis esse convenientia.

Neque in hac re dubium esse potest. Mater enim Ecclesia, a Spiritu Sancto ducta, monet, ut absolute a Deo petamus ac speremus multa, vel ipsa temporalia bona, nobis non libera; quae tamen non certo constat nobis convenire; sed supponit dumtaxat, posse nos de hac convenientia prudenter iudicare. Ita patet in rogationibus, in quibus, quia supponit pluviam, exempli causa, esse congruentem; eam absolute postulare facit: idem dic de aliis rebus. Viri etiam sancti leguntur in Scripturis multa orasse, nulla adiecta conditione. Cuius rei triplex causa afferri potest. Prima, quia iudicium prudens et absolutum, licet non sit certum, est de se sufficiens ad actum spei absolutum; erectio namque animi, quam spes essentialiter includit, non est ea infallibilitas, quae praevium iudicium certum exigat, ut exigit fides, utpote infallibilis; secunda, quia Deus, qui, ipso inspirante, vocatur ab Apostolo «Deus spei [1],» sibi honori vertit spem nostram, et quidem absolutam, quando eam prudenter habere possumus, magis quam conditionatam; quia absoluta spes plenior est, et maiori fiducia in Ipsum instructa; tertia, quia conditionata spes, maxime quando tribulatione premimur, minus animum erigeret, quam vult Deus, ut per spem erigatur.

1 Rom. xv. 13.

Verum quidem est, spem nostram, sin minus formaliter, at aequivalenter saltem, ut loquuntur scholae, conditionatam debere esse, quoties nobis certo non constat ea, quae petimus, convenire ad finis prosequutionem. Neque aliter intelligendi sunt auctores nonnulli, qui admonent, petitiones rerum huiusmodi, conditionatas esse oportere: ad id vero sufficiet, si quae petimus, petamus solummodo tamquam convenientia finis prosequutioni, aut divinae gloriae et animae saluti. Quemadmodum si quis absolute ab alio cultrum petat, solummodo tamquam utilem ad concidendum, qualem ipse esse existimat; ex hoc tantum patet esse petitionem aequivalenter conditionatam: ita ut si ad concidendum sit inutilis, iam non petat.

Illud porro maximo nobis solatio esse debet, quod simul ostendit, quam sit nobilis Deus, et quantum glorietur esse «Deus spei:» nam si quae praedicta spe freti petimus, nobis non expedire noverit, non largitur profecto; quia nec ipse tunc beneficium nobis largiretur, neque nos petiisse censemur; at bonum aliud, aut aequale, aut maius, porrigit. Ita intelliguntur textus illi Sacrae Scripturae: «Petite et accipietis: omnis enim qui petit accipit [1]:» et ille Apostoli: «Spes autem non confundit [2]:» nempe, non frustratur bono quod postulat, qui spe postulat.

Tantum igitur abest, ut Ignatiana doctrina traditae nunc de spe doctrinae adversetur, ut in Ignatii vita passim occurrant exempla prorsus singularia huius virtutis, quam Deus luculentissimis miraculis confirma-

1 Matth. vii. 7. 8.
2 Rom. v. 5.

vit. Quin, eamdem doctrinam tradit in ipso hoc Principio et Fundamento, ubi ita concludit: «Vnice desiderando et eligendo ea, quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.» Ergo docet, desideranda nobis esse, ac proinde a Deo petenda et speranda, quae magis conducunt ad finem, ob quem creati sumus. Huiusmodi vero desiderium, et petitio, et spes, certe ex prudenti nostro iudicio, etiamsi certum non sit, dirigenda sunt: haec est enim hominis conditio, ut quoniam saepe rei veritatem certo cognoscere nequit, per prudens iudicium dirigatur: ergo si prudens huiusmodi iudicium sit absolutum, potest ac debet absolute sperare.

Verumtamen, licet ea sit conclusio huius exercitii de Principio ac Fundamento, quam nuper vidimus; mens tamen Sti. Ignatii est, ut illum indifferentiae affectum prius hauriamus, aliis interea omissis, donec illo plene imbuti simus. Id enim utile erit tum ad statum, si quidem nondum elegerimus, eligendum, ad cuius electionem sine dubio, tamquam ad scopum, iam inde collineat S. Ignatius; tum etiam ut in quibuslibet petitionibus, etiam absolutis, nihil postulemus, nisi quatenus ad finis prosequutionem conducant: qua in re saepe erramus, variisque praetextibus illudimur, ea postulantes, quae male ordinatis affectionibus conveniunt; neque a Deo exaudimur, iuxta illud Iacobi Apostoli: «Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis [1].»

1 Iac. IV. 3.

SECTIO II

DE TRIPLICI EXAMINE PRIMAE HEBDOMADAE PROPRIO

Post Principium ac Fundamentum, ante quam ullum aliud exercitium proponat B. Pater, triplex docet examen conscientiae: examen quotidianum particulare, examen quotidianum generale, examen generale ad peccatorum confessionem. Duplex huius praxis assignari potest causa: prima, quia, ut nuper dicebamus, qui primum exercitia suscipiunt, nondum apti ad orationem mentalem accedere solent; ad examina vero parati utique sunt, utpote faciliora; secunda quia ab ipso ingressu opus habent horum examinum. Examinis quidem particularis quotidiani, quia vult S. Ignatius, idque non semel commendat, ut in ipsis Exercitiis huiusmodi examen de fidelitate instituatur, qua praescripta servantur ad Exercitia rite peragenda. Examinis vero generalis quotidiani, quia per ipsum de quotidianis defectibus, qui irrepserint, purgandi sunt, ut melius disponantur ad accipiendas a Deo gratias, quas in Exercitiis accipere sperant. Examinis tandem generalis ad confessionem, quia plurimum conferet ad confessionem, fortasse generalem, quae intra primam hanc hebdomadam facienda est.

CAPVT I

DE TRIPLICI TEMPORE EXAMINIS PARTICVLARIS

Vocat S. Ignatius huiusmodi examen *particulare*, quia non universos defectus respicit, ut duo alia examina respiciunt; sed defectus dumtaxat contra particularem aliquam virtutem, puta humilitatem, temperantiam, fidelitatem in exercitiis, etc. Vocat praeterea *quotidianum*, quia quotidie agendum est. Addit «continere in se tria tempora, et examinationem sui bis [quotidie] faciendam:» ubi per *tempora* significat partes cuiusque diei, in quibus speciali cura de hoc examine faciendo cogitandum est; *examinationem* vero *sui* intelligit actuale eiusdem examinis exercitium, in quo admissos defectus recensemus.

Ex quibus apparet, quanti fecerit huiusmodi examen; pro neutro enim aliorum examinum tot res postulat. Doctus videlicet fuerat a Christo eiusque Matre beatissima, esse hoc examen efficacissimum, eo quod universas animi vires unit contra unum defectuum genus. Cupit etiam, ut omnes illud maximi faciant, et exerceant contra genus illud defectuum, qui potius in se dominari deprehenderint, sive quatenus ab illis plus damni capiant, sive quatenus maius bonum impediant: idque tamdiu, quamdiu sibi noverint utilius esse, contra unum idemque defectuum genus pugnare; neque facile mutent examinis materiam, nisi postquam in priori valde profecerint, idque unum quaerant, ut in variis se virtutibus perficiant.

Circa tempora huic examini assignata, quatuor sunt consideranda. Primvm est, tria praescribi tempora: pri-

mum, «statim ac mane surgit homo» nempe «a somno» ut recte addit vulgatus interpres, non tam ut rem explicet, quam ut significet, etiam in casu in quo quis, ob adversam valetudinem, e strato non surgat, e somno tamen excitari solere; qui proinde, quantum possit, examen particulare facere debet; secundum, tempus meridianum aut circiter; quamvis enim scribat S. Pater «post prandium,» hoc dicit ei, qui fortasse ante prandium non potuerit parumper se colligere, ut saepe contingit; post prandium vero omnes possunt, et solent, se colligere; tertium, ut iterum se examinet quis post coenam, id est, nocte paulo ante quam cubitum eat.

Haec tam simplex, tamque captu facilis, temporum distributio includit magni momenti documentum, et menti Bti. Patris valde consentaneum: nullum videlicet debere esse christianum hominem, qui non se colligat, saltem interius, ter quotidie: *mane*, (tamquam si tunc a Deo iterum crearetur), ut se totum offerat Divinae Maiestati; *meridie*, quo tempore Christus Redemptor pro nobis cruci affixus est, ut Eius meminerit, et particulare aliquod Ei obsequium praestet; *nocte*, quae mortis nostrae speciem gerit, ut veniam culparum interdiu admissarum impetret. Ita ut christianus omnis dicere cum regio Psalte possit: «Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo; et exaudiet vocem meam [1].» Quum igitur triplicem hanc quotidianam collectionem soleant christiani omnes usurpare, triplici huic tempori examen etiam particulare addere poterunt.

Secundum est, specialem doctrinam contineri in illis verbis: «ab illo peccato particulari vel defectu, a quo

1 Ps. liv. 18.

se vult corrigere et emendare;» vocibus enim illis «peccato particulari vel defectu» quas quidem saepius repetit ob utilitatem, quam illa distinctio affert, docemur examen particulare versari posse non in peccatis solum vitandis, verum etiam in culpabilibus illis defectibus, de quibus toties loquuti sumus. Quare nemini mirum esse debet, si eis, qui Exercitiis incumbunt, etiamsi ad ea suscipienda non iussi, neque ex aliqua obligatione, accedant; praescribat tamen Stus. Ignatius, ut examen particulare applicent ad fidelitatem in ipsis exercitiis procurandam.

Deinde verbis illis «a quo se vult corrigere et emendare» admonemur, finem examinis particularis esse non solum de peccatis aut defectibus dolere, nosque ob ea admissa corripere, aut etiam castigare; sed ulterius procedere, et media efficacia adhibere, ut in ea denuo non incidamus; nempe ab illis nos emendare.

Tertivm est, quod dicit S. Pater in secundo huius examinis tempore, id est meridiano, ut qui se examinat, «proponat denuo emendare se:» adde etiam, ut facile intelligitur, et doleat, et veniam a Deo de admissis defectibus impetret. Idque de tertio etiam tempore, seu nocturno, intelligendum est; quia isti sunt principales actus examinis particularis. Neque obstat, admissos defectus caruisse culpa, de quibus dolor concipi non debeat, eorumque venia impetranda non sit; nam dolor ferri potest non in mala solum, sed etiam in minus bona; quemadmodum mercatores non solum pecuniam perditam, sed minus etiam lucrum, dolere consueverunt. Veniam autem illorum defectuum a Deo postulare, idem est ac petere, ne uberiorem gratiarum copiam subtrahat; non quidem in poenam culpae, quae

nulla adest, sed ob defectum efficacis cooperationis ad collata gratiae auxilia.

Illud, quod S. Ignatius subiungit: «usque ad alterum examen, quod faciet,» pium continet artificium; ne videlicet specie perpetuae aut diuturnioris emendationis oculis obiecta, animum despondeamus. Quare melius est, nihil de illa diuturnitate cogitare; eo potissimum, quod propositum emendationis in hoc examine longe aliud est a proposito in confessione eliciendo, quod quidem perpetuum esse oportet.

Qvartvm denique est, velle S. Ignatium, ut ille, qui examen particulare exercet, quando meridie ac vespere examinat, annotet quoties in defectum inciderit; eo fine, ut numerum antecedentem cum sequente conferre possit, prout in additionibus praecipitur. Idcirco in textu tum hispanico tum latino describuntur lineae quaedam, binae pro singulis hebdomadae diebus, in quarum priore pinguntur tot puncta, quot defectus commissi deprehenduntur in examine meridiano; in posteriori vero quot deprehenduntur in nocturno examine. Ad cuius normam poterit quilibet libellum conficere, in quo illa annotet. Sciendum porro est, Btum. Patrem in illa simplicitate, qua Manresana in specu hispanicum textum scribebat, optimum existimasse medium ad significandum binas illas lineolas singulis diebus respondere, si utriusque initium coniungeret; idque perfecit ope litterae *G*, quia caeteris est longior, et in tota longitudine aequalis: atque ad id refertur illud, quod habetur in textu hispanico [1] «et pingat in

1 «Y haga en la primera línea de la *G* tantos puntos,» etc. «y haga en la segunda línea de la *G* tantos puntos» etc.

priori linea litterae *G* tot puncta,» etc., et inferius: «et pingat in posteriori linea litterae *G* tot puncta,» etc. Ea vero, quoniam nimis minuta visa sunt, in latino textu omitti passus est.

CAPVT II

DE QVATVOR ADDITIONIBVS, AD EXAMEN PARTICVLARE SPECTANTIBVS

Nomen *Additio*, a Sto. Ignatio saepe in libro Exercitiorum usurpatum, significat monitum aliquod eis, quae dicta sunt, additum. In prima igitur ex quatuor additionibus, ad particulare examen pertinentibus, admonet, ut quoties quis in defectum, quo emendari curat, labitur, manum pectori admoveat. Ex quo duplicem utilitatem intendit; prior est, ut illico de lapsu doleat, ut ipse ait «dolens quod ceciderit:» hic autem dolor multum Deo placet, lapsum reparat, et a relapsu praeservat; manus autem pectori admotio et ipsum dolorem significat, et naturaliter excitat. Altera utilitas est, huiusmodi actionem plurimum conferre, ut in secundo ac tertio tempore recordetur quoties lapsus fuerit; nam praeter speciem, quam lapsus ipse in memoria imprimit, manebit etiam species eliciti doloris, et manus pectori admotae: quae triplex species memoriam summopere iuvabit. Probat praeterea Btus. Pater huiusmodi actionem fieri etiam assistentibus aliis, nec advertentibus. Idque illius indoli, et melius dixerim prudentiae, valde consentaneum est; parum enim ipsi placebant exteriores singularitates, quae quidem id solent efficere, ut alii obloquantur, ac demirentur, potius quam aedificentur.

Verum quod magis hic notatu dignum est, in eo stat, quod ex quatuor additionibus tres integrae versantur in praescribenda lapsuum collatione, ope descriptorum in lineis punctorum; quae quidem comparatio instituenda est tum in secundo examine quotidiano respectu prioris etiam quotidiani, tum in secunda die respectu antecedentis, tum denique inter ipsas hebdomadas. Quae quidem continua comparatio medium est efficacissimum, ut humiliemur, si minus defectus emendaverimus; ut ad obtinendam emendationem accendamur, ac reapse obtineamus. Ita expertus est Btus. Pater, qui toto vitae tempore collationem huiusmodi religiose instituere sŏlebat.

In autographo Bti. Patris post quatuor has additiones descriptae undecim lineae cernuntur, binis inter se ope litterae *G* coniunctis; quae quidem littera altior est in primo linearum binario, pertinente ad dominicam diem, brevior in sequente binario, et ita porro. Vndecima linea significat, in reliquis hebdomadae diebus puncta, quibus lapsus notantur, in privato aliquo codice describenda esse.

Sciendum tandem est, non adversari Bti. Patris menti, si quis aliis quibuslibet signis utatur ad hunc finem idoneis.

CAPVT III

DE EXAMINE GENERALI

Postquam dixit S. Ignatius de examine particulari, gradum ad generale facit, simulque agit de quotidiano, et de examine ad confessionem, ut patet ex ipsa inscriptione: «Examen conscientiae generale ad purgan-

dum se, et ad melius confitendum.» «Ad purgandum se» inquit, quia in quotidiano per dolorem utique purgamur: «ad melius nonfitendum,» non absolute «ad confitendum,» ut prudenter quidem innuat non omnia, quae tradit, quasi necessaria sint tradere; ex charitate vero admonet, ea esse utilissima. Patet praeterea, agere hic S. Ignatium de utroque examine generali; quia tum ea, quae docet de peccatis cogitationis, verbi et operis, tum rationem se examinandi, quam subiicit, paene omnia sunt ad utrumque aptissima.

Docet igitur in primis, aliqua circa peccata cogitationis, verbi et operis: huncque ordinem duas ob causas sequitur: prima est, quia eumdem sequitur ordinem sancta Ecclesia in illa generalis confessionis formula, omnibus nota: «Confiteor Deo..... quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere;» secunda est, quia iste est reapse communis ordo admittendi peccati, ut incipiamus a peccandi cogitatione, (cui nempe consensum praebeamus; secus peccato carebit); sequuntur immediate verba, quae vulgo viciniora exstant; tandem expletur opus, quod minus iam prope adest, et solet in exteriorem effectum prosilire.

CAPVT IV

DE EXTERNA HVMANARVM COGITATIONVM CAVSA

Quemadmodum a cogitatione initium ducit peccatum, ita et meritum. Antequam igitur S. Ignatius speciatim agat de peccatis cogitationis, verbi et operis; nonnulla docet de cogitatione in genere sumpta, quorum cognitio omnibus, maxime Instructoribus, apprime convenit. Docet ergo, cogitationes seu cognitiones

hominis, quibus mens illustratur ad actus voluntatis eliciendos, provenire posse (praeterquam ab aliis hominibus) a triplici causa.

Prima est homo ipse, eius natura in seipsa spectata, nempe, neque maligno spiritu seu daemone quidquam agente, neque speciali ratione operante Deo, eiusve Angelo sancto: *speciali* inquam *ratione*, quia Deus, ut causa universalis, omnia in nobis operatur.

Secvnda causa est spiritus bonus, sive Deus ipse sit, sive Angelus eius sanctus. Et quidem Deus, utpote et hominis et aliorum omnium absolutus Dominus, in homine absolute operatur; primo exterius, in exterioribus sensibus externas perceptiones immediate excitando, ex quibus sequuntur phantasmata, et ex his cogitationes seu cognitiones; secundo interius in phantasia, excitando immediate in imaginatione phantasmata, ex quibus sequuntur intellectiones; tertio interius in spiritu, intellectiones in mente immediate excitando. Ex hac triplici operandi ratione prima tantum ac secunda sanctis Angelis competit, non vero tertia; ut enim optime docet Btus. Pater in secunda regula pro pleniore spirituum discretione, «Solius est Dei.... sine causa praecedente (utpote Creatoris animae) intrare, egredi, facere motionem in illa,» id est, solus Deus potest in illa immediate operari, sine praecedente causa seu phantasmate, spiritum ipsum attingendo.

Tertia denique humanarum cogitationum causa est spiritus malus seu cacodaemon, duplici nempe illa ratione, qua operatur bonus Angelus; at fine penitus opposito: bono quidem Angelo ad bonum semper movente, pravo autem ad malum. Ratio vero, qua uterque exterius in homine agit, facilis intellectu est; nihil

enim differt a ratione, qua homo in homine agit, externa scilicet obiecta exterioribus sensibus obiiciendo. At ratio interius in phantasia operandi, minus est obvia, quum homini respectu aliorum hominum non competat: in eo autem consistit, quod sive movendo species in phantasia exsistentes, sive eis corporeum aliquem humorem applicando, ita species immutant, ut ab eis producantur phantasmata illa, quae ipsi apta cognoscunt ad cogitationes, quas intendunt, producendas. Daemon quidem tantum operatur, quantum a Deo permittitur: bonus autem Angelus divinae dispositioni suaviter se attemperat. Haec omnia, quae communia sunt apud Theologos, compendio hic docuit S. Ignatius.

Animadvertendum tamen est, verbis illis «unam meam propriam, quae exsurgit ex mera mea libertate» non significari eiusmodi cogitationem semper homini liberam esse; multae enim in nobis cogitationes, neque inspirante bono spiritu, neque malo instigante, exsurgunt; sed id tantummodo exprimi, illam cogitationem, sive circa bonum sive circa malum obiectum versetur, non aliam habere causam, quam liberam hominis naturam. Qui quidem, eo ipso quod naturali ad bonum et malum fruitur libertate, naturaliter excitat in se cogitationes, quae sibi proponant bonum aut malum, (sublatis enim eiusmodi cogitationibus, et ipsa libertas tolleretur); imo etiam, cogitationes, quae ad malum inclinant, ut antea dicebamus. Confirmat nostram hanc explicationem vulgatus interpres: qui, nulla facta mentione libertatis, ita reddidit: «unum ex proprio surgens, motu ipsius hominis.» Hispanicus tamen textus, plenior certe, ut solet, ac profundior est;

rei enim causam et fundamentum affert, quae est naturalis hominis libertas.

Tandem animadvertam illas voces «in me,» quae leguntur in textu «Praesuppono esse tres cogitationes *in me*,» innuere, inter examinandum oportere, ut determinate ac serio nobiscum loquamur.

CAPVT V

DE HVMANAE COGITATIONIS MERITO AC DEMERITO

«Duo sunt modi, inquit S. Ignatius, merendi in mala cogitatione, quae advenit extrinsecus:» et in textu hispanico additur «verbi gratia;» quia idem dicendum est de mala cogitatione, quae advenit intrinsecus, aut ex propria nostra natura. Affert autem exemplum cogitationis extrinsecus accidentis, quia quum a nobis non procedat, ut procedit actus ei resistendi, facilius eam distinguimus: huiusmodi namque extrinsecus advenientes cogitationes adeo distincte percipimus, ut saepenumero, in cogitationibus potissimum irae ac vindictae, alium interius illas cogitationes immittentem, loquentemque audire videamur.

Magnum igitur lumen magnamque doctrinam eis, qui se examinant, affert S. Ignatius, docens in cogitatione de patrando mortali scelere, quantumvis horrendum illud sit, nullum adesse peccatum; imo vero, si ei resistatur, et quidem virtutis actum, ut supponitur, eliciendo, magni meriti fit occasio; et maioris, si iterum incidenti cogitationi, iterum resistatur: nova enim resistentia novum parit meritum. Quamobrem in sequenti examine summa cum humilitate gratiae sunt Deo habendae, quod victoriam contra cogitationem

illam contulerit; itemque proponendum, restiturum se nova constantia, novaque in Deum fiducia, omnibus eiusmodi cogitationibus: haec enim sunt praecipua arma, quibus expugnandae sunt pravae omnes cogitationes tentationesque ab inimico immissae.

Circa modum, quo nos gerere debemus in hac pugna, sollemne documentum tradit in illis verbis «in promptu;» obiter innuens, magnum esse medium ad resistendum, ipsam resistentiae promptitudinem: id enim, inter alia commoda, praecipuum illud habet, quod impediat, quominus prava cogitatio vires adquirat, et roboretur. Numquam enim, aut paene numquam, graviter tentaremur, si strenue in ipso initio resisteremus, neque nostra negligentia tentationes crescere pateremur: nam tentatio, quae parvula scintilla est in initio, si negligentiores simus in ea exstinguenda, in vehementem ignem convertetur. «A scintilla enim una, ait Eccl., augetur ignis.» (XI. 34). Apposite Paulus [1]: «Tentatio vos non apprehendat nisi humana,» nempe, etiamsi fragiles homines tentationibus carere non possimus; attamen per promptam resistentiam agendum nobis est, ne ex humanis, seu homini minus difficilibus, fiant diabolicae, plenaeque ardoris avernalis.

CAPVT VI

QVOMODO IN PRAVA COGITATIONE PECCARI VENIALITER POSSIT

Triplicem hic causam assignat S. Ignatius, ob quam homo in cogitatione mortalis peccati, cui tamen libere pleneque non consentiat, leviter peccare potest; hoc

1 1. Cor. x. 13.

vero leve peccatum vocat ipse pravae cogitationi «aures praebere.» Prima est, si aliquandiu in ea immoretur: primoque hanc loco posuit, quia est primum, in quo solemus periclitari; secunda est, si post primum cogitationis ingressum, «aliquam delectationem sensus» accipiat: *aliquam* quidem, id est, non plene liberam; *sensus* vero, sive sensualem, nempe, sensui placentem, et honestati adversantem: hancque secundo constituit loco, quia reapse est, in quo secundo periculum adest; tertia tandem est, si manente prava cogitatione, «interveniat aliqua negligentia in [ea] reiicienda,» nempe in adhibendis mediis ad illam expellendam: ponitque hanc tertio loco, quia non raro postquam primum ac secundum devitaverimus periculum, adhuc in hoc tertio versamur.

Haec est solidissima atque utilissima Sancti Ignatii doctrina, in re tam spirituali atque abstrusa, summopere conferens, ut in examine, utrum peccaverimus nec ne, probe dignoscamus. Vtinam ob oculos semper versaretur, ut fructum ab ea uberrimum caperemus! Tria porro circa hanc doctrinam animadvertenda sunt. Primvm est, primam illam ac tertiam peccandi rationem constituere veniale peccatum contra generale praeceptum vetans ne nos constituamus, aut libere permaneamus, in speciali occasione, licet non proxima, letaliter peccandi: morula enim illa in prava cogitatione, ac negligentia in ea reiicienda, etiamsi proximam occasionem non constituant, constituunt tamen specialem; id enim significant voculae illae «*aliquantulum* immoremur» «*aliqua* negligentia;» exprimunt enim periculum, seu occasionem specialem, quae tamen non sit proxima; si enim esset proxima, sub mor-

tali eam vitare teneremur. Secunda vero leviter peccandi ratio est contra particulare praeceptum prohibens ipsum pravae cogitationis obiectum: quod quidem praeceptum etiamsi ex genere suo sub gravi obliget, at quia delectatio illa supponitur non plene libera, limites peccati venialis non transgreditur.

Secvndvm est, ad triplicem hanc peccati levis rationem, requiri, ut actus illi sint homini aliquo modo liberi, et fiant cum aliqua advertentia ad malitiam, quam continent: defectus enim moralis sine libertate atque advertentia consistere non potest; quare verendum minime est, ne hac Bti. Patris doctrina fiant homines scrupulosi.

Tertivm est, doctrinam hanc non contineri intra eam, quam tradunt Theologi Morales, quando causas explicant, quibus fieri potest veniale, peccatum mortale ex genere suo. Hae porro tres afferri solent: prima, ex parte intellectus, defectus plenae advertentiae; secunda, ex parte voluntatis, plenae libertatis defectus, (utraque tandem ad defectum plenae libertatis reducitur); tertia, ex parte obiecti, defectus gravitatis in materia. Doctrina vero Sti. Ignatii latior patet; respicitque praxin examinum: ex doctrina enim Theologorum sumit S. Ignatius quidquid ad rem suam facit, idque tradit in secunda ratione; addit vero primam et tertiam, detegens alia peccata levia, in quae labi possumus, neque directe opponuntur praecepto illi particulari, de quo dumtaxat agunt Morales Theologi; sed generali praecepto de vitandis peccandi occasionibus, ut nuper dicebamus. Inde fortasse excusari possunt tres illi Salmanticenses Doctores, qui in doctrina hac Sti. Ignatii nonnihil reprehendendum invenere, quia huic differentiae minime attendebant.

Quaeri poterit hic, cur Btus. Pater de mero culpabili defectu, seu de positiva imperfectione morali, nullam fecerit mentionem, quum veniali peccato tam similis sit, licet minorem contineat malitiam, et sit non modo materia doloris in examine, sed etiam accusationis in confessione. Causam huius silentii esse existimo, quia huiusmodi defectum seu imperfectionem satis ob oculos posuit agens de examine particulari, ac saepius illas voces repetens «peccatum vel defectum:» ut enim in cap. I. huius Sect. dicebamus, hoc nomine «defectus» intelligit culpabilem defectum: praeterea, huiusmodi culpabiles defectus non pertinent ad primam hebdomadam, in qua nunc versamur.

Quae quidem differentia, ita explicari potest: quemadmodum enim Deus prohibet sub levi omne illud, quod etiamsi non sit proxima occasiō, aut grave periculum, letaliter peccandi, (nam si esset, certe sub gravi prohiberet); est tamen occasio specialis, seu quae proxime accedit ad illud periculum; ita vetat sub poena mere culpabilis defectus, seu positivae moralis imperfectionis, omnia illa, quae, licet non sint proxima venialiter peccandi occasio, (si enim essent, sub levi peccato prohiberet), est tamen illius occasio specialis, ac proinde consilium de eius contrario tradit. Praeter hanc tamen praecepti consiliique rationem, multa dantur consilia, multa praecepta; quorum quidem consiliorum alia sunt omnibus communia, prout est illud de non amandis huius mundi bonis nimio amore; alia vero aliquorum vitae statuum propria: ratio vero efficacior ac suavior eorum adimplendorum, vitandorumque culpabilium defectuum, aut etiam non culpabilium, et moralium imperfectionum negativarum, est continua Dei praesentia.

CAPVT VII

DE MALITIA PECCATI MORTALIS EXTERNO OPERE COMPLETI

«Duo sunt, ait B. Pater, modi peccandi mortaliter.» Loquitur hic de peccato mortali, quod *practicum* vocatur, nempe, desiderium patrandi id, quod a Deo sub gravi prohibitum est; non vero de *speculativo*, seu de mera delectatione in eo, quod Deus sub gravi prohibet; ut patet ex his, quae sequuntur: «quando homo praebet consensum malae cogitationi ad operandum postea sicut consensit, vel ad eam opere exsequendam, si posset;» peccatum enim mortale speculativum, seu merae delectationis, non includit consensum ad opus exsequendum, imo saepe stat cum voluntate non operandi.

Docet ergo S. Ignatius, mortale peccatum practicum, complectens non modo desiderium faciendi contra legem divinam, sed opus etiam externum, gravius esse, (communiter nempe loquendo: hoc enim sensu tradi solent generales doctrinae.) Maiorem porro huiusmodi gravitatem ex triplici causa repetit: prima est, ob maiorem temporis decursum, quo durat pravus voluntatis actus; perseverat enim donec opus externum compleatur, sive unus idemque actus per totum illud tempus perduret, sive sint plures actus physice distincti; quia quocumque tandem modo fiat, singulis, quibus perdurat, instantibus, malitia actus in primo instanti quodammodo coram Deo geminatur; secunda est, ob actum intensiorem: actus enim, qui opus externum attingit, quum vim imbibat exsiliendi ad extra, communiter intensior est, quam actus externum opus non per-

tingens; tertia tandem ob maius damnum utriusque personae; est enim actus, qui utriusque damnum et vult, et concurrendo operatur: damnum, inquam, gravissimum, quod uterque accipit ex mortali peccato, mundanas omnes calamitates longe excedens.

En doctrina Sti. Ignatii de peccati externo opere completi gravitate: quae quidem doctrina non solum peccato mortali, sed veniali etiam applicanda est, quum eadem sit utriusque ratio, et triplex illa maioris gravitatis causa, a Sto. Patre allata, pro utroque valeat. Ratio vero, cur huiusmodi doctrina hic inter agendum de examine proposita fuerit, est ut pro maiori peccatorum gravitate intensiorem curemus concipere dolorem, et firmius emendationem proponamus.

Duo hic occurrunt notatu digna. Prius est, licet Sanctus doceat peccatum mortale, opere externo completum, gravius esse; non dicere tamen esse gravius ex opere externo, aut graviorem eius malitiam consistere in opere externo. Quamvis enim malitia peccati cuiuslibet, communiter loquendo, sit magis continua atque intensior, quando vim et efficaciam habet, ut in opus externum erumpat; tamen tota ratio malitiae exsistit iam, et consistit, in ipso actu interno immediate a voluntate elicito; quae quidem voluntas, eo ipso quod ad bonum et malum libere ferri potest, ac minus proinde divinae voluntati alligatur, potest, quatenus libera est, a Deo se avertere; ac proinde actum deordinatum ac malum exserere: opus vero externum, si ad id se extendat interior actus, quum alia etiam via suum esse a Deo accipiat, (esse, inquam, in se bonum, quod a creatura vitiari nequit), est interioris illius malitiae effectus dumtaxat et signum. Verum quidem est, opere

externo compleri quodammodo malitiam peccatorum; ut ex eo patet, quod in sacramentali confessione sit aperienda, et aliquae nonnumquam ex eo obligationes oriantur; hoc autem non inde provenit, quod tota iam peccati malitia in actu immediate libero atque deordinato non exsisteret; sed, quoniam humana cognitio a sensibus exorditur, interna per externa iudicamus; maxime quum externum, productum ab interno, unum totum cum eo constituat.

Alterum est, ex tribus causis, quas affert S. Ignatius in hoc loco, tertiam pertinere ad mortalia peccata externa cum complice, id est, patrata cum persona, quae ad illa concurrat: cuiusmodi sunt plerumque peccata contra sextum praeceptum, de quibus specialiori modo loquutus videtur Ignatius in hac doctrina tradenda: tum quia ab eis quamplurimum abhorrebat, tum quia ob ea in inferorum carceres potissimum homines detruduntur; contra quam vulgo creditur, errore summe pernicioso. Neque vero illa peccata nominat, ut tum propriae, tum alienae puritati consulat: quum enim tam lubrica sit materia, qua facile quis inquinari possit; abstinebat, quantum poterat, vel a nomine: in quo certe imitandus est omnibus, iuxta illud Apostoli: «Fornicatio autem... nec nominetur in vobis [1].»

CAPVT VIII

DE IVRAMENTO

Postquam dixit S. Ignatius de peccatis, quae cogitando admittuntur; gradum ad ea facit, quae verbo

1 Ephes. v. 3.

complentur: et loquitur primo de iuramento, multaque docet, consueta styli simplicitate, quae ad accuratam conscientiae examinationem plurimum conferre possunt.

Illud porro quaerendum occurrit, cur S. Ignatius, conditiones seu proprietates iuramenti recensens, a communi Theologorum et ecclesiastici iuris peritis recensione discedat. Hi enim, apposite ad illud Hieremiae (IV. 2) «Et iurabis, vivit Dominus, in veritate, in iudicio, et in iustitia,» docent communiter conditiones liciti iuramenti esse veritatem, iudicium ac iustitiam; Ignatius autem non his utitur verbis, sed his aliis: veritate, necessitate, reverentia.

Respondetur, Stum. Ignatium idipsum dicere, aut saltem supponere, quod docent Theologi atque ecclesiastici iuris periti; verborum autem nonnulla mutatio doctrinam addit. In prima enim conditione assignanda, nempe veritate, convenit cum illis; neque eam explicat, utpote clarissimam. Quod ad secundam, id est, iudicium, pertinet, licet nomen mutet, rem tamen supponit: vocat quippe *necessitatem;* at intelligit fieri non licere iuramentum, nisi in re alicuius momenti; quod ipsum significat vox *iudicium*. Nomen vero *necessitas* quamdam novam vim includit, innuens tanti momenti rem esse debere, ut ad iuramentum necessitate quodammodo adigamur: interponimus enim gravissimum Dei testimonium. Ad tertiam denique conditionem, hoc est, iustitiam, quod spectat, idem est dicendum. Non usurpat hoc nomen B. Pater; at intelligit supponitque rem, eamque explicat voce illa *reverentia:* in reverentia enim Deo debita fundatur conditio iuramenti de iustitia seu liceitate rei, quam significat vox *iustitia*.

Insistit vero S. Ignatius in huiusmodi reverentia, tum quia magnam divinae maiestatis habebat cognitionem, tum quia divini honoris zelo ardebat. In quo ipse Hieremias non erat Ignatio dissimilis: continuo enim, post verba nuper adducta, addit: «Et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt:» quasi diceret: «Tanta reverentia debere Israeliticum populum per suum Deum iurare, ut audientes ethnici in Dei reverentiam adducantur.» Vbi apparet fuisse Deus et Hieremiae et Ignatii magister. In qua reverentia adeo insistit Ignatius, ut consuetae brevitatis oblitus, longior heic sit, quam in caeteris libri partibus; quaestionem enim suscitat, hancque statuit conclusionem: difficilius esse recte iurare per creaturam, quam per Creatorem. Ostendit triplici argumento: idque fusius exponit, non modo magna cum soliditate, sed ea etiam subtilitate, ut excitet admirationem. Sed in his, sicut in multis aliis, diutius immorari non vacat. Porro haec materia, quoniam ad divinum honorem pertinet, illius animum percellebat: nam «Ex abundantia cordis os loquitur[1].»

CAPVT IX

DE VERBO OTIOSO

Verbum otiosum intelligit Stus. Ignatius «quando nec mihi nec alteri prodest, neque ad talem intentionem ordinatur:» quae quidem ordinatio aliquo modo ad Deum etiam fiat; ita enim, et non aliter, ad finem bonum dirigetur: ideo reddit vulgatus interpres: «ad finem bonum ordinato.» Sufficienter videtur potuisse

1 Matth. xii. 34.

verbum otiosum per hanc ordinationem definiri, utpote praecipuam ac totalem, ut verbum desinat esse otiosum. Verum ut doceremur ordinationem non esse faciendam per merum voluntatis affectum, sed per prudens motivum; posuit B. Ignatius primo loco illud «quando nec mihi nec alteri prodest,» nempe, iudico non prodesse. Scopus ergo huiusmodi ordinationis esse debet, ut diximus, Deus eiusve voluntas, quatenus agere volumus quod Deus vult, seu quod honestum est, vel rationi consentaneum: quo triplici loquendi modo idem significamus; honestum enim idem est ac divinae voluntati consentaneum: quo sensu docent Theologi, primam seu supremam regulam omnis moralitatis, seu bonitatis moralis, seu humanorum actuum honestatis esse divinam voluntatem; immediatam vero et proximam regulam, esse ipsam rationem.

Sequitur S. Ignatius, ac docet, posse non esse otiosa verba, etiam si quis loquatur de negotiis ab instituto suo alienis, ut religiosus de bellis vel mercimoniis. Id autem prae oculis habere oportet; primo, ne careamus temperata illa sanctaque libertate loquendi de variis rebus, modo ad bonum finem ordinetur sermo; deinde, ne facile aliorum verba iudicemus otiosa: quamvis enim ab eorum instituto aliena videantur; possunt tamen in his adiunctis ad bonum finem a loquente ordinari; ex qua ordinatione tollitur otiositas, ut ait S. Pater: «Sed in omnibus, quae dicta sunt, meritum est, si bene ordinetur [sermo]; et peccatum, si male dirigatur, vel vane proferatur.» Ita Christus Dominus: «Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus fuerit nequam, totum corpus tuum te-

nebrosum erit [1].» Vbi *oculum* interpretantur Patres intentionem seu ordinationem actionum nostrarum; ea enim, quasi oculis, scopum, ad quem tendimus, aspicimus. Quod si ad verba applicemus, ut applicat S. Ignatius, idem erit ac illud eiusdem Christi: «Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii [2].»

Ex quibus omnibus infertur obligatio sub levi recte ordinandi omnia verba; alioquin essent otiosa: ac proinde, si hoc sensu sumantur, indifferentia esse non possunt; sed recta ordinatione sunt determinanda. Idem intelligendum est de singulis humanis operibus actionibusque liberis, quae in se pravae non sint, (hae namque alia via vitandae sunt); eadem enim est utrorumque ratio, utraque namque Deo debentur. Maximi ergo momenti est, mane singulis diebus omnia haec Deo ex toto corde offerre: quum enim actiones illae intra eamdem diem contineantur, matutina illarum oblatio constituet eas quasi unum quid totum, maxime si interdiu methodum christianae vitae servemus, et continuo Deum praesentem intueri nitamur: ita enim omnia procedent ordinata.

Vlterius vero progreditur Stus. Ignatius: optat enim, ut ordinemus actiones universas, non modo generatim quotidiana hac oblatione, verum etiam singulas; in quo magna ex parte consistit continua illa Dei praesentia, superius explicata, praecipuus Exercitiorum finis. Animavertendum est autem, quando agit Btus. Pater de omnium verborum, ac proinde omnium etiam actio-

1 Matth. xxii. 23.
2 Matth. xii. 36.

num, ordinatione, numquam usurpare vocem hanc *in particulari*, quamvis illam singularitatem sine dubio in corde ac votis habebat: et ratio est, quia hic tantum agit de iis, ad quae obligamur sub pecato veniali. In Constitutionibus vero illam singularitatem expresse commendat his verbis: «Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa suae vitae statum, verum etiam circa res omnes particulares,» etc. [1]: at vero, Constitutiones Societatis non obligant sub peccato nec gravi, nec levi, ut ipse Btus. Pater scribit [2].

CAPVT X

DE INFAMIA ET MVRMVRATIONE

Etsi omnis murmuratio laedit alterius famam, ac proinde aliquo modo eum infamat; tamen absolute loquendo, saltem hispanico sermone, infamia plus dicit quam murmuratio, nempe, murmurationem de re gravissima, qua habita ut certa, infamatur alter, i. e. graviter eius fama laeditur. Quare in textu S. Pater nihil superfluum dicit illis verbis: « Non dicendum quidquam in diffamationem [alterius] vel murmurationem.»

Sequitur: «Quia si revelo peccatum mortale, quod publicum non sit, pecco mortaliter; si veniale, venialiter.» Circa haec verba revocanda in memoriam sunt, quae paulo superius (Cap. VII) monuimus, huiusmodi doctrinas generales, tum apud Doctores, tum etiam apud Stum. Ignatium, intelligendas esse iuxta ea, quae communiter contingere solent: ex adiunctis enim particu-

1 P. III. Cap. I. §. 26.
2 P. VI. Cap. V. §. 1.

laribus optime fieri potest, ut revelatio peccati mortalis, nondum publici, non excedat veniale peccatum: ut puta, si ille, cuius peccatum revelatur, iam sit ob gravissima scelera infamatus; ita ut notitia novi letalis peccati parum minuat existimationem, quae de eo habebatur: e converso, revelatio venialium alicuius peccatorum, constituere potest mortale peccatum; verbi causa, si ecclesiasticus vir, optima nominis existimatione fruens, dicatur esse mendax.

Addit Btus. Pater: «Et si defectum, patefacio proprium defectum.» Quibus verbis intelligit defectum revelatum, non solum moralem, qui nec sit mortale, nec veniale peccatum, sed defectus mere culpabilis; verum etiam defectum physicum, qualis esset genus humile, magna stupiditas, etc. Et verissimum est quod heic docet Btus. Pater, patefacere proprium sui defectum, qui alienum huiusmodi defectum revelat. Primo, quia actu externo delinquit, seu defectum committit: ergo patefacit. Delinquit, inquam, quia laedit ius illud plenissimum, quod habet homo ad bonam sui existimationem; quare quum in materia virtutum non modo praecepta exstent, ac merae approbationes, verum etiam consilia; committit saltem culpabilem defectum, et fortasse peccatum veniale: imo et potest admittere mortale, si, exempli causa, revelet infame genus hominis in summo honore constituti. Deinde patefacit proprium defectum: quia ostendit habere se pravum animum, obmurmurantibus proprium; ostendit praeterea se parum honestum virum; vir enim honestus alios honore afficit: qua quidem honestate ac nobilitate animi excelluit S. Ignatius, vel ante ipsam sui ad Deum conversionem, ut legitur in eius vita.

Statuit denique duos casus, in quibus, si recta id fiat intentione, possumus de alieno peccato aut defectu licite loqui. Prior est, quando publicum est peccatum; publicum, videlicet, vel facto, ut meretricis publicae; vel iure, ut damnati in iudicio. Quamvis autem haec doctrina clarissima sit; addit tamen S. Ignatius exemplum erroris publici, sive iure, sive facto, animas inficientis: cuius causa est zelus, a Deo sibi immissus contra huiusmodi errores; et quia contra eos colloqui non modo licitum, verum etiam valde meritorium est; et si quid ob eam causam perpeti oporteret, meritum et gloria multo magis augeretur. Verum praeter animi moderationem, quae semper comitari debet, et opera reddit efficaciora; meminerimus oportet conditionis illius, a Sancto positae: «si intentio recta sit:» quae saepe deest ei, qui alienos defectus, etiam publicos, refert: quare consilium est et magnae charitatis, et prudentiae non minoris, ne de illis loquamur, nisi vel ex necessitate, vel ex evidenti utilitate.

Posterior casus, in quo peccatum occultum, alteri revelare licet, est, quando ille, cui revelatur, remedium afferre potest: quo in casu exigit S. Ignatius, ut adsint coniecturae (id est, indicia aliqua, quae licet singula, seorsim sumpta, probabilitatem non attingant; at plura simul sumpta pariant probabilitatem), aut rationes probabiles, ex quibus prudenter sperari possit, fore ut, revelato peccato remedium afferatur.

Vulgatus interpres iis, quae B. Pater dicit de infamia et murmuratione, subiunxit haec verba: «Possent inter oris peccata, irrisiones, contumeliae, et alia id genus adscribi, quae persequi licebit tradenti Exercitia, prout opus esse iudicaverit.» Hoc autem addita-

mentum vel ab ipso Sto. Ignatio factum est, vel si proprie loqui velimus, illud et aliae huiusmodi factae adiectiones in vulgata versione exprimunt id, quod Stus. habebat in mente, dum hispanicum autographum condebat, neque tamen litteris expressit: unde intelligitur quod in Directorio Cap. XIII. §. 7. admonemur: «Non fuisse mentem B. P. N. Ignatii tam brevi tractatione omnia peccata comprehendere, (idem dic de multis aliis); sed tantum pios animos admonere de iis, quae frequentiora sunt.» Oportet ergo, ut Instructores, ea, quae brevissime de examine, de confessione, de sacra communione, deque aliis, quorum praxis tempore Exercitiorum addiscenda est, tractat S. Ignatius, prout magis expedire iudicaverint, exponant atque amplificent.

CAPVT XI

DE PECCATIS OPERE COMPLETIS

Fretus igitur hac spe S. Ignatius, fore ut, quae ipse summatim docet, latius ab Instructoribus exponerentur; brevissimus fuit in peccatis operis declarandis: quapropter hoc tantum scribit, esse peccatum operis quidquid operamur contra praecepta; primo Decalogi seu divinae legis; secundo sanctae Ecclesiae; tertio cuiusvis alius Superioris. In quibus obiter docet methodum sese examinandi eos, qui a multo tempore peccata non sunt confessi; ut scilicet triplex hoc praeceptorum genus percurrant, tertio genere continente officia propria cuiuslibet status vitae particularis. Iis vero, qui saepius confitentur, et quotidiano examini generali perficiendo vacant, aptior est methodus, quae pauciora complectatur.

Sequitur S. Pater, et dicit: «Quidquid opere quis facit contra aliquid ex his tribus, iuxta maiorem aut minorem qualitatem, est maius vel minus peccatum.» Vbi *qualitatem* intelligit maiorem vel minorem malitiam aut deordinationem peccatorum, quae eorum gravitatem constituit. Inaequalis porro est malitia, non modo quia aliorum est letalis, aliorum vero venialis; sed etiam quia intra ipsum genus mortalis et venialis peccati alia plus aliis divinae voluntati adversantur: Deus enim ex infinita sua rectitudine alia acriori aversione vetat, eo quod naturae plus repugnent, ut inferius explicabimus.

Quam autem opportuno in loco gravioris peccatorum malitiae mentionem fecerit, vel ex eo patet, quod ad eorum dolorem excitandum, et emendationis propositum concipiendum in examine, maior illa malitia prae oculis habenda est.

Quaeret aliquis, cur commemoret S. Pater «Bullas cruciatae et alia Indulta,» omissis aliis Superiorum commendationibus seu praeceptis, contra quae crebrius peccari solet? Existimo, adducta fuisse huiusmodi exempla ad cautelam; quia videri posset alicui, qui minus rem calleret, esse minoris momenti ecclesiasticorum Superiorum commendationes, et Bullas, quibus gratiae seu privilegia concedi solent; neque contra haec peccari posse. At S. Pater contrarium monet: eiusmodi enim Bullas, tamquam quid levius, positive contemnere, est letale peccatum; gravius quidem, si contemptui scandalum addatur aliorum, in quibus illarum fructus impediatur. Haec vero ita se habent, etiamsi Bullae meras exhortationes contineant, non autem expressa mandata; semper enim stat divinum ac natu-

rale praeceptum vetans, ne illae contemnantur. Excitare praeterea cupit spiritum filialis amoris erga sanctam matrem Ecclesiam, ac reverentiam erga omnia, quae ab ipsa emanant. Quod vero Bullae Cruciatae specialem faciat mentionem, indicat fortasse desiderium, ut aliqua expediretur pro recuperatione Sanctorum Locorum, quae continuo memoria versabat, cupiens illuc peregrinari, ibique toto tempore vitae permanere.

CAPVT XII

PRAXIS EXAMINIS GENERALIS

Sex de generali examine notanda occurrunt. Primvm est, quamvis hoc examen ad confessionem etiam inservire possit; speciatim tamen proponitur a Sto. Ignatio pro generali examine quotidiano faciendo; ut ex tertio puncto colligitur, in quo iubemur «exigere rationem ab anima [incipiendo] ab hora, qua surrexit [quis];» id vero examini quotidiano generali potissimum convenit.

Secvndvm est, huiusmodi examen, si semel dumtaxat fiat quotidie, faciendum esse nocte paulo ante quam cubitum eamus: nam hoc tempus aptum est ut ad bene moriendum nos praeparemus; posset enim nobis contingere, quod saepe aliis contigit, ut noctu inopinata morte abriperemur: praeterea imitabimur regium Psaltem canentem: «Lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo [1].» Supponit vero Stus. Ignatius a multis fieri bis quotidie: idque Societati iniunxit [2], et ab ea servatur pra-

1 Ps. VI. 7.
2 Const. P. IV. Cap. IV. §. 3.

xis duplicis examinis, semel ante prandium, et iterum ante nocturnum somnum: duplex etiam praescribitur iis, qui exercitiis vacant. Hac igitur iteratione complectitur examen generale triplex illud tempus examinis particularis quotidiani cum duplici ipsius propria discussione. Propositum enim illud, mane primo tempore concipiendum, et cum operum matutina oblatione sociandum, est utriusque examinis fundamentum; meridiano autem nocturnoque tempore simul fit utrumque examen, generale ac particulare: In Societate tum meridie tum nocte impenditur examinandae conscientiae quarta horae pars: et certe omnibus dimidius saltem horae quadrans videtur impendendus.

Tertivm est, ordinem partium seu punctorum, quibus constat examen generale, esse rei naturae valde idoneum, et pietate plenissimum, tamquam a Christo eiusque Matre beatissima Sto. Ignatio traditum. Primum enim punctum, in quo gratias Deo pro acceptis beneficiis agimus, aptissimo in loco ponitur. Omnis enim spiritualis exercitatio opportune initium ducit ab agnoscenda reverendaque infinita Maiestate ac divinis perfectionibus: praeterea sistuntur ob oculos innumera a Deo accepta beneficia, quae est altera, eaque potissima, ratio dolendi, quod eum offenderimus, simulque proponendi in posterum fidelius servitium; item renovandi, ut par est, in singulis quotidianis examinibus continuam Dei praesentiam, eamque fovendi per accuratam exsequutionem methodi christianae vitae. Continet ergo primum punctum, ad haec omnia rite exsequenda, duplex efficacissimum motivum.

Qvartvm est, proponi a Sto. Ignatio in puncto tertio ordinem, quo admissorum rationem a nobis exigere

debemus: ut nempe incipiamus a cogitationibus, deinde ad verba, ac tandem ad opera procedamus; eumdem enim ordinem proponit, quem supra tradiderat, et ob easdem causas antea explicatas. Si cui autem alius ordo placebit, ut puta temporis vel occupationum, nihil contra Bti. Patris mentem peccabit: illud enim potissimum intendit, ut quisque eo se ordine examinet, quem sibi faciliorem efficacioremque cognoverit. Illud animadverto, si quis a multo tempore peccata confessus non fuerit, e re fore, ut primo opera examinet, (haec enim facilius in memoriam veniunt), deinde verba, tandem cogitationes.

Qvintvm est, quamvis in quarto puncto S. Pater solum meminerit de venia peccatorum postulanda; intelligitur tamen dolor de iis excitandus esse; imo ante haec duo, gloriam Deo esse dandam, et gratias agendas, tum quod in plura non fuerimus lapsi, tum ob bona, quae operati fuerimus, bonis et malis ab invicem iam in tertio punto segregatis. Haec omnia, quia ex se perspicua sunt, non expresse tradidit S. Ignatius; nemo enim ignorat, hos esse actus examinis principales. Huiusmodi vero gratiarum actionem, ob bona opera facta, esse ex mente Sti. Ignatii, vel ex eo patet, quod ipsam commendet in quinta ex decem Additionibus primae huic hebdomadae respondentibus, quando agit de examine post orationem instituendo.

Sextvm est, totum quintum punctum proposito emendationis adscribi; quia magna pars fructus ab examine capiendi ex hoc proposito pendet. Docet praeterea Dominicam orationem in fine esse recitandam; quia praeter divinam huius orationis originem. eius recitatio altius in animo defiget petitiones, ex quibus

constat; quaeque, ut supra diximus, constituunt totidem aspirationes, quibus continua Dei praesentia mirandum in modum fovetur. Et patet esse iuxta mentem Sti. Ignatii et Ecclesiae consuetudinem, ut praedictae orationi subiungatur Angelica Salutatio: oportet enim ad Virginem Deiparam iugiter recurrere, ut continuam Dei praesentiam nanciscamur, tum gaudendo de illius perfectionibus excellentissimis, ut facimus in priori salutationis parte, tum, ut facimus in altera, eius opem implorando.

CAPVT XIII

DE CONFESSIONE GENERALI AC DE COMMVNIONE

Non agit Stus. Ignatius primo de confessione generali necessaria, facienda scilicet, quando quis certo scit, aut prudenter iudicat, anteactas confessiones non fuisse validas aut sufficientes; secundo, de ea, quae nocumentum potius afferre solet, ut saepe scrupulosis contingit, qua de re, confessarius, non poenitens, iudicare debet; sed tertio, de ea loquitur, quam vocant *utilem*, tum ut melius Deo satisfaciamus, tum ut in eius servitio acrius accendamur. Ideo addit: «pro eo, qui eam sponte facere velit.»

Ex hac igitur generali confessione sive totum vitae tempus, sive tempus, quod ab ultima confessione generali decurrit, complectatur, tres utilitates capi possunt hoc Exercitiorum tempore [1]. *Prima* est universalis pro quovis tempore, nempe intensior peccati dolor, ac maius proinde meritum; videns enim qui exercetur,

1 In textu hispanico: «para aquí.»

simul deordinationes totius vitae, acrius ad dolorem permovetur. *Secunda* est particularis pro tempore Exercitiorum; estque dolor non modo intensior, sed longe etiam intensior, ortus ex cognitione malitiae peccatorum multo acriori: quae quidem cognitio accipitur tum ex uberiori divinae gratiae copia, tum ex rerum consideratione. *Tertia* demum, quae fluit ex duabus prioribus, ideoque est etiam particularis pro Exercitiorum tempore, est copiosior gratia, exstante meliori dispositione, quae ex sacra Communione hauritur: gratia, inquam, non modo habitualis, verum etiam actualis, novo lumine mentem illustrans ad veritates, quae proponuntur, penitius intelligendas, ex quarum cognitione novam vivendi rationem instituet, non modo a peccato immunem; sed eam, quae habitualem gratiam conservet augeatque, et uberiora a Deo auxilia accipere mereatur. Hoc enim divinum Sacramentum est divinis cibus producens spiritualiter in anima longe excellentiore modo effectus omnes, quos in corporibus producit cibus materialis, ut ipsum nomen *Panis* innuit, quo in Sacris Scripturis significatur, et explicant universi Patres Ecclesiae, speciatim vero Concilium Florentinum.

Dicit Btus. Pater, confessionem istam generalem valde in tempore fieri, continuo post primae hebdomadae Exercitia. Non quidem ante: expedit enim, ut prius quis peccata sedulo examinaverit, ac defleverit; secus parum ex ea referet utilitatis. Non autem post: quia secunda hebdomada aggredienda est cum illa animi pace ac fervore, quae ipsa generalis confessio inducere solet.

Sit omnino liber is, qui exercetur, ut generaliter

confiteatur cuicumque, prout ei libuerit, Sacerdoti, ut summopere cupiebat Stus. Pater, et confirmat Directorium, Cap. XVI: quare admoneatur licere utique, non autem opus esse, ut confiteatur Instructori. Et quoniam de re valde gravi agitur, non videtur esse contra mentem Sti. Ignatii, ut, quo diligentius examen institui possit, duobus vel tribus diebus hora aliqua mentalis orationis praetermittatur, exempli causa, prima vespertina: quod etiam Directorium permittit. Si vero Exercitia octo vel decem dierum spatio absolvantur, curandum videtur, ne quid temporis orationi mentali detrahatur: tunc enim examini tribuenda tempora intermedia, addito tempore spirituali lectioni assignato, quae non sit praeparatio punctorum ad meditandum.

SECTIO III

DE EXERCITIIS PRIMAE HEBDOMADAE

CAPVT I

DE PRIMO EXERCITIO IN GENERE

Primae de peccatis meditationi praefixit Stus. Pater hunc titulum: «Primum exercitium est meditatio [facienda] per tres potentias [animae] circa primum, secundum et tertium peccatum.» Vocat enim hanc meditationem «primum exercitium;» quia eam primam omnium sese exercentibus proponebat, ut mentali iam oratione exercerentur; contra quam, ut diximus, in consideratione Principii ac Fundamenti interdum facere solebat. Dicit deinde huiusmodi exercitium esse meditationem, per tres animae potentias faciendam: non certe quia in sequentibus exercitiis tres illae potentiae exercendae non sint; sed quia primum hoc exercitium proponit tamquam normam atque exemplar subsequentium. Materia huius exercitii est «primum, secundum et tertium peccatum,» nempe, peccatum Angelorum; peccatum protoparentum Adae et Evae, (quia fuit secundum quod admissum est post illud angelicum); et peccatum aliud quodcumque, a quovis alio homine admissum, quod, quia venit post duo illa, merito vocatur tertium: supponit tamen B. Pater huiusmodi peccatorem, primo, et uno fortasse, patrato scelere, damnatum fuisse.

«Continet in se, subiungit, post orationem praeparatoriam, et duo praeambula, tria puncta capitalia, et unum colloquium.» Vbi quatuor tangit essentiales, aut saltem integrales, partes, in quas mentalem orationem distribuit. Singulas ita explicabimus, ut, si memoria teneantur quae initio dicebamus, praecipua Ignatiana doctrina de mentali oratione facile intelligi possit.

Sed antequam ad eam orationem venio, sciendum est, quatuor complecti in oratione mentali Stum. Ignatium, a Christo eiusque Matre beatissima edoctum: primum est, praeparatio, quam *remotam* vocant, ante ipsam orationem adhibenda, in eo consistens, ut interdiu animum ne nimis evagari sinamus; item, ut puncta, sive legendo, sive audiendo, praeveniamus; denique, ut nonnulla alia agamus, de quibus infra agemus, quando Additiones explicabimus; secundum, praeparatio, quae *proxima* dicitur, fitque in ipso orationis ingressu, actus quosdam certos ac definitos exercendo; tertium est, ipsa oratio, actusque, quibus constat; quartum tandem, examen orationis continuo post finitam orationem instituendum, ut dignoscamus quomodo nos in ipsa gesserimus.

CAPVT II

DE ORATIONE PRAEPARATORIA AC DE PRAEAMBVLIS IN GENERE

His itaque praeiactis, dico: ex quatuor mentalis orationis partibus, quas vocat Stus. Pater «orationem praeparatoriam, praeambula, puncta et colloquia,» orationem praeparatoriam et praeambula pertinere ad secundum eorum, quae nuper recensuimus; puncta vero et colloquia, ad tertium. Sed singula persequamur.

In primis ergo, Oratio praeparatoria est actus praeparationis proximae, quo generatim gratiam a Deo postulamus, ut mentalis illa oratio, cui vacare incipimus, sit ad maiorem ipsius gloriam, et animae nostrae utilitatem. Ita eruitur ex ipsis verbis, quibus utitur Stus. Pater in oratione praeparatoria, huius primi exercitii inscriptioni supposita: «Oratio praeparatoria, inquit, est, petere gratiam a Deo Domino nostro, ut omnes meae intentiones, actiones et operationes pure ordinentur in servitium ac laudem suae divinae Maiestatis.» Quae quidem verba licet ad determinatum tempus contracta non videantur; certum tamen est, ad tempus illud, quo oramus, esse circumscribenda: agens enim de divina gloria, vix poterat Ignatius contineri.

Huiusmodi praeparatoria oratio per tota Exercitia eadem est, neque umquam mutatur. In eius initio munire se debet ille, qui orat, signo crucis; quia tunc proprie loquendo, bonum opus mentalis orationis incipimus.

Praeambvla sunt alii praeparationis proximae actus, diversi pro diversis exercitiis, post orationem praeparatoriam, et ante mentalem ipsam orationem, eliciendi. Hoc nomine utitur S. Ignatius, quia vulgo praeambula nuncupamus ea, quae principalem actionem praecedunt, et quibus quodammodo ad ipsam nos accingimus.

Duo saltem sunt praeambula: loci compositio, ac petitio. Nonnumquam accedit tertium: quando enim instituitur meditatio de aliqua historia, seu de veritate e pluribus eventis, sibi succedentibus, coalescente; praescribit S. Pater, ut ante illa duo praeambula, adhibeatur aliud, quod ipse vocat *historiae propositionem*. De singulis pauca.

Historiae igitur propositio est historiae meditandae ad quàedam capita revocatio, ut memoria teneatur. Vtilitas huius praeambuli evincitur primo, ex eo quod, ipsa rerum considerandarum multitudo, nisi prius summa earum capita in memoria defigantur, orantem faciet ad illas considerandas minus idoneum; secundo, quia ipsa earum revocatio paene necessaria est ad loci compositionem in huiusmodi exercitiis effingendam. Verum hoc praeambulum a Sto. Ignatio non exigitur in prima hebdomada: primum proponitur in contemplatione de Verbo incarnato, quia inde sacrae historiae meditationi proponuntur.

Loci compositio fit repraesentando ope imaginationis obiecta praecipua, de quibus meditatio instituenda est. Quod si obiecta sint spiritualia, ac proinde figura careant; effingenda est imago aliqua corporea rei spiritualis. Si vero effingere nequeamus adeo particularem loci compositionem, fingamus generalem, constituendo nos, exempli causa, coram Deo, eiusque curia caelesti. Gravissimi est momenti huiusmodi praeambulum, licet in eo confingendo, ut prudenter monet Directorium, non est cum nimia defatigatione laborandum: multum enim iuvat, ut phantasia, alligata quodammodo sensibili illa repraesentatione, non modo menti non obsit, dum oramus, ad aliena obiecta divagando; verum etiam eam adiuvet, foveatque mentales actus, proponendo obiecta ad eos accommodata.

Et quoniam constitutio rerum in locis certis ac definitis plurimum confert ad phantasiae quietem obtinendam, ideo huiusmodi praeambulum vocatur *Loci compositio*. Quanti hanc fecerit Btus. Pater, ostendit sedula ipsius commendatio in pluribus exercitiis.

Confirmatur eius utilitas ex damnata propositione 18 ab Innocentio XI in Constitutione *Caelestis Pastor*: «Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.»

Petitio fit postulando a Deo gratiam, ut in animo excitemus affectus illos particulares (et; ut supponitur semper, praerequisitas cognitiones, eis respondentes), quos ex oratione haurire optamus, ad maiorem Dei gloriam, et animae nostrae salutem. Vnde intelligitur discrimen inter orationem praeparatoriam et petitionem: quamvis enim utraque fundetur in necessitate divini auxilii, qua premitur homo; oratio tamen praeparatoria postulat in genere auxilium divinae gratiae pro illo tempore orationis; quare a Sto. Ignatio non includitur inter praeambula, quae quidem, iuxta traditam explicationem, specialius referuntur ad materiam, quam meditamur: petitio vero postulat gratiae auxilium ad particulares affectus, qui requiruntur, excitandos.

Petitionis utilitas patet, tum ex necessitate divini auxilii iterum ac saepius postulandi; tum quia per ipsam et memoriam et desiderium excitamus illorum affectuum, ad quorum prosequutionem tum consideratio tum ponderationes dirigendae nobis sunt.

CAPVT III

DE PVNCTIS ET COLLOQVIIS IN GENERE

Pvncta, ut alibi diximus, sunt illae orationis partes, quae adiuncta propria consideratione, ponderationibus et affectibus, ab invicem separatae proponuntur. Lo-

quens S. Ignatius de punctis huius primi exercitii, adiunxit appositum illud *principalia:* ut innueret, contineri in eo puncta alia minus principalia, minusque apta ad finem, qui intenditur: quae proinde praetermittit, ut consuetae brevitati consulat: ideo tria illa puncta vocat *principalia.* Porro quasi puncta minus principalia afferri possent poenae aliae, quas peccatum letale meretur: damna alia, quae ex ipso oriuntur, et similia. Idem profecto de aliis exercitiis sentiendum est. Quibus admonentur Instructores, licere huiusmodi alia puncta proponi, si opus esse censuerint: oportere autem, quantum fieri possit, puncta a Sto. Patre scripta non praetermittere.

Colloqvivm est intensior illa distinctiorque affectuum expressio, qua inter orandum, cum Deo, cum Beata Virgine, cum caelitibus, aut nobiscum ipsi loquimur. Varia colloquiorum ratio pendet a persona, quacum loquimur: a materia, de qua agitur; a fine, quem intendimus.

Vtilissima porro sunt huiusmodi colloquia, tum ad fervorem, quando adest, in oratione adaugendum; tum ad ipsum, quando frigescimus, excitandum. Ideo B. Pater in eis edocendis et hic et alibi longior est.

Praecipit ergo, ut quantumvis inter meditandum alia colloquia fecerimus, quod certe licet;) sub fine tamen meditationis aliquod, unum saltem, instituamus. Imo saepe plura facienda praescribit: iisque sollemnem aliquam vocalem orationem, ad rem, de qua agimus, accommodatam, subiungit, quo et rei gravitatem significet, et colloquiorum fructum certius tueatur.

Breviter iam explicatis quatuor mentalis orationis partibus, quarum hic meminit Btus. Ignatius: notan-

dum est, colloquia, quae potissimum in affectum excitatione, singulis punctis propriorum, consistunt, posse in ipsis punctis includi; at quia plerumque comitantur vocali oratione, novam partem constituere videntur.

Circa hoc primum exercitium, quod est de peccato letali, spectata eius malitia ex poenis, quas meretur, et ex damnis, quae causat; et circa secundum, statim proponendum, in quo peccati malitia spectatur secundum quod infinitae Dei bonitati adversatur; aliqua notatu digna occurrunt, ex quibus innotescere poterit, quam apta, quam efficax, quam, paene dixerim, divina sit Ignatianorum Exercitiorum methodus.

Primo enim, utrumque hoc exercitium immediate post considerationem de ultimo fine hominis collocatur; ut eorum collatio acrius animum percellat, eumque certius defendat a maximo finis obtinendi impedimento, quod est letale peccatum.

Secundo, praecedunt haec duo exercitia reliqua omnia ad hanc primam hebdomadam spectantia; ut nempe gravissima documenta, quae in sequentibus exercitiis tradenda sunt, penitius capiamus; consistunt enim, tota quanta sunt, in aperienda necessitate vitandi peccata, eorumque occasiones ac pericula.

Tertio, utrumque exercitium de peccatis simul, nullo alio interiecto, proponitur, ut mutuo sese adiuvent, eorumque virtus, velut in unum coalescens, efficacius animum permoveat.

Quarto, separatim tamen proponuntur, ut naturali vi, ac sine mutuo impedimento, tum cognitiones, tum affectus, qui in utroque seorsim tractantur, altius defigantur in animo.

Quinto, exercitium, in quo agitur de excitando timore Dei servili, ponitur priori loco; quia spes, ad quam reducitur hic timor, est facilior virtus. Exercitium vero, in quo proponitur peccati oppositio infinitae Dei bonitati, ad excitandum timorem Dei filialem, ponitur posteriori loco; quia huiusmodi timor difficilius obtinetur, utpote ad charitatem pertinens, quae difficilior est virtus: uterque vero timor utilissimus est, et posterior perfectissimus; ad quem prior ille disponit, sicut spes ad charitatem.

Sexto, duplex huiusmodi timor, alter initium spei, alter vero charitatis, ex ipsa sui natura, et ex ordine, quo proponitur, proprium motivum in animo distincte et copiose imprimit; prior nempe, motivum attritionis; alter autem, contritionis: in quo latet efficacissimum, quod excogitari potuit, artificium, ut facilius in posterum de validitate confessionum certi efficiamur, etc.

CAPVT VI

DE LOCI COMPOSITIONE IN PRIMO EXERCITIO

Primi huius exercitii «compositio, ait S. Pater, erit videre visu imaginationis et considerare animam meam esse in hoc corpore corruptibili [tamquam] carcere inclusam.» Quamvis autem, proprie loquendo, corpus nequeat carcer sive ergastulum animae nuncupari; quum carcer illi, qui in eo detinetur, non naturalis, sed violentus sit; corpus vero sit pars hominis, cui anima naturaliter cooptari appetit ad beatitudinem promerendam: attamen, si corpus spectetur quatenus per appetitum sensitivum animam detinet in iis, quae sensui delectabilia sunt, neque eam libere sectari honesta

sinit ea libertate, qua, corpore soluta, sectaretur; non immerito corpus carceri assimilatur, ac metaphorice dicitur animae carcer. Qua etiam metaphora usus est regius Psaltes, ita Deo alloquens: «Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo [1].»

In eadem loci compositione praescribit S. Pater, ut spectetur «totum compositum in hac valle tamquam exsulans [eiectum in exsilium].» Vbi nemini mirum esse debet, si homo, (qui est *compositum* illud, de quo est sermo), dicatur exsulare: omnes enim e paradiso voluptatis, ubi tamquam in patria cum protoparentibus Adamo et Eva vita nobis degenda erat, nisi peccassent ipsi et nos in ipsis, in exsilium pulsi sumus. Et licet per baptismum peccatum origine contractum penitus deletur; occasione tamen illius, (esto non sit eius poena), eam regionem incolendam sortiti sumus, quae, spectata priore illa destinatione, certe est exsilium. Hoc sensu sancta Ecclesia ad purissimam Virginem, omnis peccati nesciam, ita nos clamare docet: «Ad te clamamus exsules filii Evae in hac lacrymarum valle.»

«Inter bruta animalia,» concludit S. Ignatius; ut nempe in memoriam revocet, similes nos in hac lacrymarum valle brutis animantibus fieri, quatenus in appetitu sensitivo indeliberatae exsurgunt ad sensui delectabilia affectiones, quales in brutis reperiuntur; et quidem periculosiores in nobis, quam in illis, quae per eas numquam ad malum inclinantur, nos vero saepe ad malum trahimur. Quamvis autem nos, contra quam fit in ipsis, ex libertatis usu resistere valeamus; verumtamen arguunt in nobis magnam miseriam ac limi-

1 Ps. CXLI. 8.

tationem; quam certe, si Adamus non peccasset, neque nos in ipso peccavissemus, minime pateremur. Tunc enim ex dono originalis iustitiae, aliisque privilegiis a Deo concessis, nullus appetitus sensitivi, aliusque facultatis, actus, qui ad peccatum inclinaret, e nobis prodiisset, quin libere voluissemus. Verum quidem est, pugnam, quam experimur, magnam esse augendorum meritorum occasionem; imo post gratiam nobis passione ac morte Christi Domini promeritam, omnibus perpensis, nobis, absolute loquendo, melius successisse, quam si Adamus non peccasset; ipsa tamen pugna est quodammodo miseria non mediocris; cuius quidem memoria opportuna est, in hac loci compositione effingenda.

CAPVT V

DE PETITIONE IN PRIMO EXERCITIO FACIENDA

In petitione huius primi exercitii scribit Stus. Pater haec verba: «Videndo quam multi damnati fuerint ob unicum peccatum mortale.» Vbi verbum hispanicum *dañados* recte vertitur ab utroque interprete *damnati*, iuxta sensum, quo olim usurpabatur vox hispanica *dañados*.

Quaerat fortasse quispiam, cur Stus. Ignatius, qui adeo benigne de Deo sentiebat, tamquam rem certam proferat, multos homines, ob unum dumtaxat mortale peccatum, fuisse damnatos, ut significat voce illa *quam multi*? Respondeo, hac in re facile esse in errorem incidere, contrarium existimando: quamvis enim, spectato eorum numero, qui ob plura mortalia peccata sunt damnati, pauci damnati sint ob unicum pecca-

tum; absolute tamen sunt multi: et quum tam late pateat universus orbis terrarum, totque saecula ab eius creatione effluxerint; plura hominum millia, post primum letale peccatum admissum, damnati censendi sunt. Nam, praeter alia exempla, quae possent afferri, multi infideles, ratione utentes, adhuc pueri aut adolescentes, praeter originale peccatum, in mortale personale profecto lapsi sunt; et post primum admissum damnati fuere: verisimile enim est, inter tot gentiles non paucos post unum peccatum fuisse damnatos. Quod si haec de infidelibus negari non possunt, quanto minus negari poterunt de christianis, quorum culpa multo gravior est in peccati admissione?

Non infitiamur, Stum. Patrem in hoc ipso exercitio, quando, exempli causa, loquitur de peccato Angelorum, idque vocat *unum*, intellexisse *unum* non physice, imo neque moraliter *unum;* sed *unum* iuxta vulgarem loquendi rationem, quatenus licet sint fortasse peccata et numero multa, et specie longe diversa, omnia tamen ad unum ordinantur: eodem prorsus modo, quo hominis occisionem vocamus *unum* peccatum, licet saepe multa complectatur, quae diu perdurant, qualia sunt, si aliorum cooperationem in occisione postularit, si illicitis mediis usus fuerit, et his similia. Et id intellexisse B. Patrem, patet ex doctrina multorum gravissimorumque doctorum, opinantium reapse Angelorum peccatum physice et moraliter fuisse multiplex; unum vero, vulgari tantum loquendi ratione. Neque Ignatius Exercitia scripsit, quae mere probabilibus, et adhuc controversis sententiis, quantumvis fortasse veris, inniterentur: in quo certe imitandus est ab iis, qui proprias quascumque doctrinas proponunt, ut animos ad

virtutis amorem et praxim permoveant. Haec igitur non infitiamur: neque vero id minuit robur argumenti quoad nos; quia multa certe eiusdem generis peccata nos admisimus, cuius generis vel unum plures homines in aeternum carcerem detrusit.

Verum enimvero, Btus. Pater in illis huius secundi praeludii verbis: «hic erit, petere pudorem et confusionem mei ipsius, videndo quam multi damnati fuerint ob unum peccatum mortale,» intelligit peccatum unum, tum physice, tum moraliter: alioquin haec verba praecipuum robur amittunt.

Neque minus benigne de Deo sensisse dicendus est: imo, proponit magnum Dei beneficium in hac veritate nobis aperienda collatum, ex cuius cognitione intelligimus immensam letalis peccati malitiam, quae tam mitem ac benignum Deum ad iram provocat; quare salutari timore nobis est pertimescendus.

CAPVT VI

DE AFFECTIBVS IN PRIMO EXERCITIO EXCITANDIS

In verbis nuper citatis assignantur *pudor* et *confusio sui ipsius* affectus in hoc primo exercitio excitandi.

Verum, ut supra monuimus, quoniam Btus. Pater supponit similes alios aut connaturales affectus cieri posse, praeter eos, quos ipse in petitione ciendos assignat; dubitandum non est, quin in hoc exercitio, praeter pudorem, suique ipsius confusionem, sequentes affectus sint excitandi: primus, horror letalis peccati ob poenas, quas meretur; secundus, poenitentia, eique respondens dolor, quod peccatum admiserimus, et tot poenas fuerimus promeriti; tertius, ingens timor ne ite-

rum admittamus, et illarum poenarum efficiamur rei; quartus, firmum propositum non admittendi in posterum, ob ipsarum poenarum timorem; quintus firmum itidem propositum confitendi peccata, quam primum liceat, ut certi moraliter fiamus, quatenus fieri possumus in praesenti vita, versari nos in statu gratiae, ac proinde gravissimis illis poenis obnoxios non esse; sextus, firmum propositum vitandi proximas, imo etiam speciales, peccandi occasiones, ex ipso poenarum timore; septimo tandem, alii et alii affectus, coniungendi, ut consideranti patet, cum spe in Deum, propter Iesu Christi merita, et per intercessionem purissimae eius Matris.

Quum vero tot affectus in hoc exercitio sint excitandi, quam ob causam B. Ignatius pudoris dumtaxat, confusionisque, meminit? Huius rei duplex, eaque optima, ratio assignari potest. Prior est, quia Christus, eiusque Mater beatissima, quum ea, quae scribebat, suggerebant, Ignatii se ingenio et acceptae institutioni attemperabant: qui utpote et genere et indole nobilissimus, in aula regia nutritus, et militaribus honoribus decoratus, sensu liciti honoris, ac pudoris proinde et confusionis, acriter percellebatur: haec igitur ore depromebat. Vnde in secunda Additione ex decem, quae sub fine huius hebdomadae primae positae sunt, praescribit, ut qui exercetur, quo paratior ad hoc exercitium accedat, statim ac expergefactus fuerit, consideret «quomodo miles [1] aliquis staret coram rege suo, et coetu aulico, erubescens, anxius et confusus, qui in

1 Hispanice *caballero*, miles nempe nobilis, sponte sua militans, ut explicat P. Roothaan.

regem ipsum, acceptis ab eo prius beneficiis, donisque plurimis ac maximis, graviter deliquisse convictus esset.»

Altera, et quidem altior, ratio est, quia in pudore et confusione continetur humilitas *confusionis* vocari solita; quae unus est ex affectibus praecipuis, in exercitio de peccatis excitandus.

CAPVT VII

DE CAMPO DAMASCENO, CVIVS MEMINIT S. IGNATIVS IN HOC PRIMO EXERCITIO

Scribit S. Ignatius, in secundo huius exercitii puncto, haec verba: «postquam Adam creatus esset in campo Damasceno, et positus in paradiso terrestri,» circa quae non una est gravissimorum interpretum sententia: alii enim existimant, creatum fuisse Adamum in paradiso terrestri; alii vero in campo Damasceno, seu in quo postea urbs Damascus condita fuit, quo ex campo in terrestrem paradisum translatus fuit.

Verisimile est, Ignatium, quando Manresae Exercitia scribebat, hanc posteriorem sententiam ab aliquo concionatore aut docto viro audivisse, vel in vernaculo libro, (quos solos tunc intelligere poterat homo latinae linguae ignarus), legisse; idque sine ulla dubitationis specie credidisse, ut a simplicibus atque illitteratis fieri solet in rebus piis. Quoniam vero Christus eiusque Mater beatissima, in his, quae operi substantialia erant, auctorem quidem superno lumine illustrabant; in accidentalibus vero ad ipsius dispositionem se accommodabant: ideo sententiam hanc de Damasceno campo, quae fortasse vera non est, scribere permise-

runt. Vnde edoceremur, ut supra dicebamus, non displicere Deo, si quando meditemur nonnulla mysteriorum adiuncta, minus etiam certa; quae quidem si vera non sint, supplebit divina gratia per distinctos actus veros, quibus falsum non asseratur, et pios affectus excitandos curabit.

Idem iudicium ferendum de aliis, certe non multis, quae scripsit B. Pater in libro Exercitiorum, neque tamen ab omnibus admittuntur. In contemplatione, exempli causa, de Christi nativitate, scribit Beatam Virginem iter fecisse a Nazareth ad Bethlehem cum Iosepho et ancilla. Item, in historia Christi patientis dicit, Iesum alapam accepisse in domo Annae, (quod quidem asserunt adhuc nonnulli, alii vero negant). Tandem admittit post resurrectionem apparuisse Dominum Iosepho ab Arimathaea. Haec omnia, quidquid sit de eorum veritate, (neque enim nostrum est ea inquirere), non sunt operi substantialia, sed accidentalia. Si vero noverint Instructores, ea non esse simpliciter accipienda ab audientibus, penitus ne proponant: neque in eo facturos contra mentem Beati Patris, arbitrentur.

Nam praeter ea, quae supra docuimus, de fidelitate servanda in punctorum propositione; constat nullo modo passum fuisse S. Ignatium, ut sua Exercitia ab opinione penderent, quae ab aliis probabiliter, eorum saltem sententia, negari posset. In mysteriis enim vitae Christi, agens de conversione Magdalenae, in autographo ita scripserat: «Intrat Magdalena ubi Christus Dominus noster accumbit mensae in domo Pharisaei, quae ferebat vas alabastri, plenum unguento.» Verum, quum sciret, Romae degens, ubi liber Exercitiorum latine reddebatur, esse nonnullos acriter infi-

tiantes, fuisse Magdalenam, Marthae sororem, peccatricem illam mulierem, de qua sermo est apud Lucam, sed aliam mulierem; licet hanc ipse opinandi rationem minime probabat, (secus enim mutasset rem in autographo, etiamsi non esset edendum): voluit tamen ut, in vulgata versione, ita factum illud proponeretur: «Christo accumbente mensae in Pharisaei domo, ingressa est mulier, quae fuerat in civitate peccatrix, (sive Maria Magdalena, soror Marthae, fuerit sive alia), deferens alabastrinum vas, unguento plenum.»

Eadem prorsus ratione mutasset quidem sententiam de ancilla ac de Iosepho ab Arimathaea, si quis eam negavisset.

CAPVT VIII

DE COLLOQVIO FACIENDO IN PRIMO EXERCITIO

Sub fine primi exercitii proponit tenerrimum cum Christo Iesu colloquium, quem iubet, ut imaginemur «praesentem, et in cruce positum.» Vbi notandum obiter est, praeter illam imaginationem, qua locum initio meditationis componimus, et ad nos revertimur, si quando inter orandum ad aliena divertamus; opportunis aliis imaginationibus uti nos posse, maxime vero in colloquiis.

«Quaerendo, subiungit, quomodo Creator quum esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit, et ab aeterna vita [venerit] ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis.» Quae videlicet quaestio scatet affectibus, praesertim horrore a letali peccato, ob poenarum acerbitatem, quibus Pater aeternus in proprio Filio innocentissimo peccata nostra punivit.

Quare, non videtur a mente Sti. Ignatii alienum, si in hoc priori de peccatis exercitio, ad attritionem excitandam punctum aliquod proponatur, in quo agatur de peccati malitia ob acerbissimas poenas, quibus in Persona divina punitum fuit.

Concludit tandem: «Itidem inspiciendo meipsum, quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo.» Quae quidem verba lacrymis potius quam atramento scripsit procul dubio Ignatius: adeo sunt singula plena virtutis! Voces illae «inspiciendo meipsum» documentum continent gravis momenti ad mentalem orationem cum fructu habendam. Facile enim illa in steriles speculationes abibit, fructuque omni carebit, nisi iugiter nos inspiciamus, nisi in nosmet ipsi reflectamus, descendendo ad casus ac res nostras particulares, ut vitia emendemus. Ideo Btus. Pater toties commendat, ut in nos reflectamus, oculosque convertamus ad nos, ut patebit in exercitiis aliarum hebdomadarum explicandis. Reflexio autem, quae heic iniungitur, triplici parte constans: «Quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo,» est telum, triplici acie instructum, doloris atque amoris, quod infixum cordi perpetuo gerere debemus.

CAPVT IX

DE SECVNDO PRAEAMBVLO, ET PRIMO PVNCTO SECVNDI EXERCITII PRIMAE HEBDOMADAE

Quoniam in primo exercitio tradita iam est forma recte meditandi; brevior nunc est Btus. Pater in exponendis huius secundi exercitii punctis, uberrimam

aliunde copiam continentibus: quare opus erit, ut plenius proponantur, et adiunctis consideratione, ponderatione et affectibus, latius extendantur. Ita sperat ab Instructoribus Stus. Ignatius: ita censendus procul dubio est fecisse ipse, quando ea puncta proponebat. Et haec sufficere videntur, praesertim si recolantur quae capitibus praecedentibus exposuimus, ut artificium ac sensus huius exercitii intelligantur: quoniam vero gravissimum exercitium est; nonnulla addere, operae pretium existimavi.

Notanda enim summopere est petitio illa, quae ponitur in secundo praeludio seu praeambulo, qua postulamus «magnum [1] et intensum dolorem, et lacrymas de meis peccatis:» qua quidem verborum conglobatione admonemur, dolorem aliosque contra peccatum affectus in hoc exercitio concipiendos esse longe vehementiores, quam in priori. Quis enim non videt, quanto praestent causae dolendi in hoc exercitio propositae, (ipsa nempe Dei infinita bonitas, universaeque infinitae perfectiones, quas peccando offendimus, contempsimus, dedecore affecimus, ipsisque restitimus, vilissimae eas creaturae postposuimus), causis in primo exercitio adductis, quae tandem ad peccatorum poenas, licet gravissimas, revocantur?

Lacrymae vero, de quibus est sermo, nihil sunt aliud, quam vehemens dolor, qui in fletum planctumque erumpat; maxime si amoris affectus comitentur: quae proinde potius e corde, quam ex oculis, prosiliant: si quis ergo lacrymas fundere ex oculis nequeat, modo corde doleat, ne putet operam perditam. Optan-

1 Hispanico in autographo *crecido*.

dum verumtamen, ut exterior fletus interiorem comitetur: tum quia est actus exterior, quo Deus glorificatur, eodem ferme modo, quo vocali oratione honoratur Deus; tum quia interiorem animi dolorem fovere solet.

In primo puncto iubet Stus. Pater, ut in memoriam revocentur letalia omnia peccata anteactae vitae, ut, eorum multitudine et gravitate simul spectata, mens acrius percellatur. Idcirco vocat hoc punctum «processum peccatorum:» quemadmodum enim in processu, qui contra reum aliquem instituitur, delicta eius omnia colliguntur ac ponderantur; simili ratione in hoc puncto procedendum est.

Admonetur tamen is, qui se exercet, in Directorio (Cap. XV. §. 1). «ne descendat ad examinanda peccata singillatim, ut fieri solet, quum quis se ad confessionem parat:» sufficit enim, ut ratione quadam generali, neque tamen sine distinctione aliqua, recolantur; haec sane est Bti. Patris mens.

Porro S. Ignatius, qui nihil loquitur, quod grave documentum non contineat, in verbis illis: «inspiciendo [vitam] per annos singulos, vel per singula tempora,» «ad quod, subiungit, iuvant tria: primum inspicere locum et domum ubi habitavi; secundum, conversationem (nempe amicitiam et consuetudinem), quam habui cum aliis; tertium, officium in quo vixi;» optimam tradit methodum ad obtinendam peccatorum distinctionem, non modo in hoc puncto, quo fit peccatorum processus, verum etiam in examine ad confessiones, potissimum generales.

CAPVT X

DE SECVNDO PVNCTO SECVNDI HVIVS EXERCITII

In secundo puncto iubemur «ponderare peccata, inspiciendo foeditatem et malitiam, quam quodvis peccatum mortale commissum, habet in se, etiamsi non esset prohibitum.» Quibus in verbis considerandum est, *foeditatem* et *malitiam* semper adesse coniunctas, et utramque importare aliquam deordinationem. *Foeditas* autem refertur ad intellectum et visum, quibus displicet; *malitia* vero, ad voluntatem et appetitum, quibus displicere debet. Eodem modo, sensu tamen opposito, de pulchritudine ac bonitate iudicandum est. Horum conceptuum subtilitas auctorem latere non videtur, qui utramque notionem, brevissimè quidem, at expresse distincteque, *foeditatis* et *malitiae* peccatorum, recenset: proponitque priori loco *foeditatem*, quae respicit intellectum, quippe cuius actus voluntatem praecedunt; et posteriori loco *malitiam*, quia respicit voluntatem, quae sequitur intellectum.

Punctum hocce, a Bto. Ignatio tam breviter propositum, doctrinam continet, hinc communem ac solidissimam, inde profundam, fundamentalem et lumine plenissimam. Et primo quidem, illa verba «quodvis peccatum mortale» referuntur ad omnia peccata, non exclusis illis, quae vocantur a Theologis «peccata ex materia extrinsece mala,» eo videlicet mala, quia est prohibita; quae quidem materia lege dumtaxat positiva prohibetur, qualis est carnium esus die ieiunii. Omnia enim huiusmodi peccata, si omnia actus prohibiti adiuncta simul sumpta, et praecepti finis spectetur, iam

quid constituunt a natura absonum; ac proinde nonnullam continent deordinationem, dignam, quae prohibeatur, etsi non necessario prohibendam. Attamen Stus. Pater illa verba intelligit de peccatis, quae a Theologis vocantur «peccata ex materia intrinsece mala,» seu quae eo prohibetur, quia mala est; quae iam lege naturae prohibetur; cuiusmodi sunt omnia paene peccata contra decem praecepta divinae legis, exempli causa, falso iurare, parentes non honorare, eis non obedire, peccata turpia, etc.

Horum ergo peccatorum foeditatem ac malitiam in se, etiam seclusa divina prohibitione, praecipit S. Pater, ut consideremus ac ponderemus; omnium quidem, potissimum vero eorum, in quae, aut saepius, aut graviori nostra culpa, sumus lapsi. Seclusio autem illa divinae prohibitionis, non ita sumenda est, quasi potuissent illa peccata non prohiberi: repugnat enim divinae rectitudini ac sanctitati, ut materiam illorum peccatorum, cuicumque non obscure innotescat, Deus non prohibeat: sed ita est accipienda, quatenus mente a divina prohibitione praescindere possumus, et illorum malitiam in se ipsa considerare.

Quam considerationem si debita cum attentione instituamus, ea est mentis nostrae vis ac perfectio, a Deo accepta, ut non possimus non videre, reapse illa a natura, sive universa, sive ab eius notabili parte, valde abhorrere. Naturam vero hic intelligo non modo Creatoris seu Entis primi, licet non ut supremus Legislator consideretur; verum etiam rationalium seu per discursum intelligentium creaturarum. Et quoniam huiusmodi naturarum complexus est pulcherrimus et valde bonus; (constat enim Deo, infinite pulchro et bono, et

creaturis, quae ab Ipso conditae, Eius speciem imaginemque referunt), videbimus esse foedissima et pessima peccata, utpote pulcherrimae optimaeque rei summe opposita; videbimus alia aliis esse foediora et deteriora, quia alia plus aliis sunt naturae contraria; quare rectissima illa atque sanctissima Dei voluntas, alia plus aliis aversatur ac vetat, ut supra dicebamus.

Hanc doctrinam tradit S. Ignatius tam paucis illis verbis. Cuius quidem veritas exemplis patebit. Quomodo enim a natura absonum esse non potest, etiam omni prohibitione seclusa, falso iurare, seu Deum, infinitam veritatem, in rei falsae testem invocare? Item, parentes filium non honorare, eisque obedire, a quibus, post Deum, esse ipsum, quod habet, accepit? Tandem, voluptas, quae ex fornicatione capitur, quum ex se tam vilis sit, et a gaudiis humanae naturae dignis tantopere avertat? quare, in ordine tantum ad legitimam hominis generationem permitti potest. Et sic de aliis. Vnde, ipsas barbaras gentes, nisi tanta fuerit barbaries, ut omne penitus rationis lumen extinxerit, quin legem, huiusmodi actiones inhibentem, aut cogitaverint, aut noverint, illarum actionum pudet.

Verum dum haec Stus. Ignatius docet, foeditatem malitiamque continere peccata, etiamsi non adesset lex, qua prohiberentur; non tamen asserit fore peccata, nisi reapse lex vetans adesset. Omne enim peccatum est liber actus contra divinam legem: ideoque ut adsit peccatum, requiritur divina lex, quae actu prohibeat; ad quam certe legem advertere aliquo modo opus est illum, qui peccat: haec vero advertentia patefacit homini divinam legem, et vocatur *ratio*, iuxta ea, quae supra dicebamus.

Vnde sequitur, foeditatem illam atque malitiam, quam in sua materia habet peccatum, seclusa divina lege illud prohibente, nondum esse propriam illam peccati deformitatem ac malitiam moralem, quam vocant Theologi *proximam*, consistentem in dissonantia a divina voluntate, sive formaliter in ipso peccato existentem, sive obiective in eius materia; sed esse dumtaxat deformitatem ac malitiam impropriam, quam dicunt *remotam*. Cuius tamen cognitio confert ac disponit, ut a peccatis homo abhorreat, videns quam recte sancteque a Deo, alia tamen plus aliis, prohibeantur. Ideo ponderanda proponitur a Sto. Ignatio in hoc puncto; quod quidem punctum, sicut et quatuor alia, quae ibi ponuntur, ut plena sint, indigent sufficienti aliqua explanatione, ut nuper monuimus. Accurate igitur hoc punctum explanent Instructores, prout quisque expedire censuerit: tam enim est profundum, ut sese exercentium captum facile superet; et ideo fortasse Stus. Pater adeo brevis in eo scribendo fuit, quia longiorem explanationem ab Instructoribus faciendam esse arbitrabatur. Vnde nos in eo commentando longiores solito fuimus.

CAPVT XI

DE RELIQVIS TRIBVS HVIVS EXERCITII PVNCTIS

Praecipua secundi huius exercitii puncta sunt tertium et quartum in quibus ponderatur gravitas et malitia peccati ob vilitatem peccantis, et ob Dei excellentiam, contra quem peccatur. Quo in duplici puncto supponit Stus. Ignatius principium duplex, utrumque certissimum: primum est, peccatum esse

Dei offensionem seu iniuriam Deo ab creatura illatam; ut fide docemur; secundum, offensionem quamcumque augeri ex maiori tum offendentis vilitate, tum dignitate offensi, cognita, ut supponitur, ab offensore propria vilitate et offensi excellentia. Ita sentiunt docti viri; et huiusmodi regulam metiendae et ponderandae offensionis lumen ipsum rationis dictat. Stante igitur duplicis illius principii veritate, reapse duo haec puncta sunt efficacissima. Vnde B. Pater merito quintum punctum his verbis ex abrupto orditur: «Quintum, exclamatio admirative,» quia mortalis peccati nequitia, in quatuor punctis apprime perspecta, pacate loqui nemo potest.

Quaerat fortasse aliquis, quam ob causam duo illa principia tam efficacia neque latius explicaverit Stus. Pater, neque ad peccata applicaverit, docendo rationem, qua in eis reperiuntur? Respondeo, id omisisse caelesti prudentia a Christo eiusque Matre beatissima illustratum, qua novit huiusmodi explicationem pendere a non paucis Theologorum probabilibus opinionibus: neque passus est, ut cognitiones, eisque respondentes affectus, in hoc exercitio excitandi, ab huiusmodi sententiis penderent: quidquid enim de iis fuerit, ex simplici illorum principiorum propositione, eo modo quo cuique sunt certa atque evidentia, intensissimae cognitiones et affectus orienda erant: id vero Instructores meminerint oportet.

In utroque hoc puncto notatu dignae sunt duae illae comparationes: in tertio, a minori ad maius: «quantulus sim ego in comparatione omnium hominum,» etc.; in quarto autem, a maiori ad minus: «comparando ea (Dei attributa) cum eorum contrariis [quae sunt] in

me: eius sapientiam cum mea ignorantia, eius omnipotentiam cum mea debilitate,» etc. Duabus enim his gradationibus duplicem tradit rationem discurrendi in rebus, quae sunt incomprehensibilis magnitudinis, ut quoniam eas comprehendere non valemus, saltem stupeamus.

Circa illa, quae dicuntur in tertio puncto, «considerare me quasi ulcus quoddam et apostema, unde pullularunt tot peccata et tot nequitiae ac venenum tam turpissimum,» referenda est historia, quam narrat Orlandinus in Hist. Soc. Lib. V. §. 53 et seqq. his verbis: «Nec vero e spiritualium exercitiorum secessu minora cernebantur in animis lucra, quum ex eis tam commutati homines prodirent, ut miraculo pariter et incitamento caeteris viderentur. Quippe tanto ardore animi magnalia Dei loquentes audiebantur, ut illud in eos apte caderet, quod et a multis satis in tempore iactabatur: «Musto pleni sunt isti:» hinc et illud in vulgus fluxit, quod et valde percrebuit, qui apud Patres se semel exercerent, eos saepe visa videre. Quae fama ipsum quoque Cardinalem Henricum, eumdemque supremum in haereticos iudicem tandem impulit, ut per hominem fidelissimum de re tota cognosceret. Dederat autem id negotii Rectori Academiae Fratri Iacobo de Murcia ex familia S. Hieronymi, ita tamen, ut dissimulanter et sine Societatis nota in eos, qui exercebantur, inquireret. Qui dum facit imperata, legitimeque Fratres nostros de obiectis visis interrogat, inventus est qui (Rodericum Menesium fuisse aiunt) se visa vidisse diceret, et quidem horrifica. Cui Rector: «Et quaenam, inquit, sunt ista visa, quae dicis?» scribamque suum simul admonet, ut quae narraret, exciperet.

Ille vero: «Memetipsum, inquit, vidi, quem numquam antea probe videram, tetrum sane monstrum, et cuius simile numquam vidi.» Ita dum investigatur improbitas, probitas illustratur.» Hactenus Orlandinus. Haec porro evenere Conimbricae, in Lusitania, anno 1549.

CAPVT XII

DE TERTIO ET QVARTO EXERCITIO, SEV DE REPETITIONE

Quoniam utrumque hoc exercitium in duorum praecedentium repetitione consistit; operae pretium duxi, nonnulla hic de repetitionibus disserere.

Sciendum est ergo, exercitiorum seu meditationum repetitiones, non in eo consistere, (ut aliquis ex ipso nomine colligere posset), quod idem exercitium seu meditatio denuo iteretur, id quod minus haberet saporis ac fructus; sed, prout docet Stus. Ignatius, in eo, quod postquam aliquod exercitium peregerim, quin mutem praeparatoriam orationem et praeludia, iterum eadem omnino puncta percurram, «notando et moram faciendo in iis punctis (seu punctorum partibus), in quibus senserim maiorem consolationem, vel desolationem, vel maiorem sensum spiritualem,» diutius nempe immorando in illustrationibus, quas fuerim expertus, ut eas uniam atque defigam.

Huiusmodi repetitiones utilissimae sunt. Fructus enim ex mentali oratione capiendus non in eo reponitur, quod plures veritates mente versaverimus; sed in eo, quod habitus cognitionum, iisque respondentium affectuum, alte in animo defigamus: ad id autem apte conferunt repetitiones. Praescribit vero S. Ignatius, ut hae instituantur, diutius in illis punctis immorando

primo in quibus maiorem senserimus consolationem; signum est enim velle Spiritum Sanctum per hanc viam nos ducere; secundo, in quibus maiorem desolationem passi fuerimus; quum enim censendum sit punctum esse gravis momenti, suspicari licet desolationem evenisse vel ex aliqua nostra culpa, vel ex diaboli fraude; quare oportet, ut iterum cum humilitate et in Deum fiducia ipsi insistamus; tertio, in quibus maiorem sensum spiritualem acceperimus, aliquod nempe lumen vel aliquem affectum, ad illud exercitium minime pertinentem; ex hoc enim inferre etiam possumus, velle hac via nos ducere Spiritum Sanctum.

Repetitionum utilitas vel ex eo patet, quod plurimi eas S. Ignatius fecerit. Quamvis in tertia hebdomada ei, «qui voluerit magis abbreviare [tempus] in Passione [contemplanda],» permittit ut repetitiones non faciat; si tamen fieri possint, exigit ut non praetermittantur. Imo, permissionem hanc in tertia hebdomada obiter tantum et indirecte loquitur; e contrario autem, instituendas repetitiones commendat inde iam a prima hebdomada post singula fere exercitia; horamque integram repetitionibus adscribit. Quare, etiamsi octo tantum dierum spatio peragantur Exercitia, et quatuor dumtaxat horas mentali orationi quotidie vacetur; non tamen sunt repetitiones omittendae; imo, optabilius esset, ut nonnulla minoris momenti exercitia omitterentur. Neque tamen id videtur necessarium. Nam iuxta consuetudinem, exempli causa, in Hispaniis valde communem [1], proponendi singula exercitia, eorumque

1 Hodiernis temporibus nullibi, quod sciam, viget haec consuetudo.

puncta, pro duabus orationis horis, suavis erit ratio instituendarum repetitionum, nullo praetermisso ex ordinariis exercitiis, si prior ex duabus horis insumatur in faciendo primum exercitio; posterior autem, in eo repetendo. Et haec agendi ratio, qua quidem integra servabatur praxis repetitionum quoad substantiam, fortasse causa fuit illam consuetudinem inducendi: *quoad substantiam*, inquam, quia licet non duae repetitiones, ut Btus. Pater praescribere solet, sed una tantum fiat; si quidem haec accurate fiat, earum certe fructus quoad substantiam obtinebitur. Et hoc confirmatur, primo, quia ipse S. Ignatius in tertia nota ex quinque positis ante praeambulum ad status considerandos, pro aliquibus diebus nonnisi unam praescribit repetitionem. Deinde, quia si contrahantur Exercitiorum dies, ut supra demonstravimus contrahi quidem ex mente Sti. Ignatii posse; consequens est, ut numerus etiam contrahatur repetitionum.

Quod si quis melius hac praxi iuvetur; quoties non praescribuntur sensuum applicationes, ut accidit in tota paene hebdomada prima, duas repetitiones in posteriore, quam diximus, hora facere poterit; prioris quidem exercitii, in priori semihora; posterioris vero, in posteriori: in qua porro posteriori semihora, relictis punctis illis, in quibus semper aut desolationem passi, aut nullam spiritus motionem experti sumus, (haec enim duratio satis significat, nolle Deum per illam viam nos ducere); in aliis accepta lumina defigere studendum est, altius quam defigi potuerunt, quando rem primum meditati sumus: neque enim aliud docere voluisse censendus est S. Ignatius, illis verbis quarti exercitii, quod est altera repetitio: «Vt intellectus absque divagatione

discurrat assidue per reminiscentiam rerum,» earum videlicet, quas sumus in anteactis exercitiis contemplati. Quae omnia eo plane collineant, ut ad adquisitam, prout supra dicebamus, contemplationem, aut ad orationem saltem affectivam, disponamur: quod quidem prae oculis habere summopere oportet.

Neque oggerat quis repugnantiam verborum illorum: «sine divagatione discurrat.» Divagatio enim inquietudinem importat, qua absente, discurrere possumus: discursum vero nominat S. Pater, ut doceat, cavendum nobis esse, ne ex desiderio obtinendae contemplationis, motiva seu obiecta nostrarum cognitionum obliviscamur; imo vero eis attentius acriusque inhaereat mens: ita ut licet cognitio nostra non sit formaliter discursus, includens actuum distinctionem; at saltem sit discursus aequivalenter, qui motivorum vim ac robur totum retineat, quae ad contemplationis soliditatem apte conferunt.

CAPVT XIII

DE COLLOQVIIS FACIENDIS IN HVIVSMODI REPETITIONIBVS

Explicata iam Ignatiana de repetitionibus doctrina, nonnulla dicemus de triplici colloquio ibidem praescripto.

Et primo quidem illud est notatu dignum, simul ac repetitiones proponuntur, augeri numerum colloquiorum: colloquia enim pertinent ad affectus, qui solent in repetitionibus esse frequentiores.

Id vero, quod in iis colloquiis potissimum edocemur, est scala illa divina, quam Christus eiusque Mater beatissima Bto. Ignatio commonstrarunt, ut per eam no-

bis esse ascendendum ostenderet: quae quidem licet tribus dumtaxat gradibus constat; at est longe divinior, quam fuit Iacobaea scala.

Primus in ea gradus est B. Virgo Maria, vera Dei genitrix, hominum misericors mater: quam, Ecclesia suggerente, invocamus «Matrem misericordiae;» talem hominibus datam per Ioannem a Iesu, iam iam morituro, dicente [1]: «Ecce Mater tua.» Quantumvis ergo miseri simus, numquam ab ea repellemur.

Secundus vero gradus est Christus Iesus; quatenus homo, verus Mariae Virginis Filius; qui Matrem plus diligit, quam universos Sanctos atque Angelos simul sumptos; qui adeo nos amat, ut mortem pro nobis subierit; qui pro hominibus apud Patrem intercedit, propria merita offerens.

Tertius denique gradus est aeternus ipse Pater, qui in unigeniti Filii precibus ac meritis infinite sibi complacet; cui quidem ac Sancto Spiritui, Christus, quatenus Deus, aequalis est; qui homines tanto prosequitur amore, ut morti dilectissimum Filium pro nobis tradidisse gaudeat.

Quae igitur scala divinior, atque ad spem excitandam aptior, cogitari possit?

Notandum hic est, quamvis iuxta specialem cuiusque motionem, quae quidem colloquia moderari debet, orare nobis liceat vel solum Patrem, solum Filium, solum Sanctum Spiritum, vel tres simul personas, vel Christum ut hominem, vel solam eius Matrem beatissimam, vel solos Angelos ac Sanctos, aut, si magis libuerit, sacras huiusmodi personas, nunc has, nunc

1 Ioan. xix. 27.

illas, coniungere ac miscere; summopere tamen Deo placere, ut scala illa, quam docet S. Ignatius, crebrius utamur: id etenim confert tum ad divinum honorem; reveremur enim ineffabilia illa mysteria, quae infinitis armoniis in huiusmodi scala constituit; tum ad nostram utilitatem; quia erudimur, et magis fundamur, in fide supernorum horum mysteriorum. Ideo Btus. Pater saepe illum colloquiorum ordinem absolute praescribit, et fere semper ad illa nos invitat.

Oratio illa, quae incipit «Anima Christi,» antiqua est ac devotissima, et in ipsius autographi initio scripta reperitur.

Denique tria proponuntur in singulis trium colloquiorum huius exercitii postulanda, quae aptissime huic primae hebdomadae respondent, includuntque necessarios tres gradus, ut solida conversionis ad Deum fundamenta iaciantur. Primus est, cognoscere ac detestari peccati nequitiam; secundus, ex hac cognitione ac detestatione assurgere ad nostrarum operationum deordinationem agnoscendam, et ad instituendam methodum christianae vitae, qua illae ordinentur; tertius, ex odio peccati abhorrere a rebus mundanis, quae nos in periculo peccandi constituunt. Et quoniam haec omnia in peccati detestatione nituntur, et nullius erunt negotii, si verum sit huiusmodi odium; ideo B. Pater vocem odium seu detestationem toties repetit.

CAPVT XIV

DE QVINTO EXERCITIO AC DE SENSVVM APPLICATIONE

Quintum exercitium est de poenis damnatorum per sensuum applicationem: quae, ut initio dicebamus, est

quaedam mentalis orationis ratio, praeter repetitiones, ad adquirendam contemplationem disponens. Vnde licet huius exercitii inscriptio in textu hispanico per vocem «meditatio» explicetur; in versione tamen vulgata ita habetur: «Quintum exercitium est contemplatio de inferno.» Quamvis autem obiectum contemplationis soleat esse bonum, utpote nobilitatem illam communiter continens, quam postulat contemplatio; nihil tamen prohibet quominus circa malum versetur: et sane in poenis damnatorum adest terribilis quaedam magnitudo, quae contemplationi subiaceat.

Sumpta igitur occasione quinti huius exercitii, adiuncto quinto etiam secundae hebdomadae exercitio, in quibus duobus formam huius sensuum applicationis rite instituendae tradidit B. Pater; eius de hac re doctrinam breviter aperiemus. Ad cuius intelligentiam tria praesupponenda sunt, quoad substantiam certa, et tum ad rem, de qua agimus, tum ad alias multas res vitae spiritualis, summopere conferentia. Ea vero distinguemus ac nominabimus communioribus distinctionibus et nominibus.

Primvm est, esse in homine decem vitales potentias, quarum septem materiales sunt, et vocantur *sensus;* reliquae vero tres sunt spirituales, et absolute *potentiae* nuncupatur. Materiales sunt: visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, nempe sensus quinque externi seu corporei: praeterea imaginativa facultas, et appetitus sensitivus, quae duo «interni sensus» appellantur. Spirituales autem sunt: memoria, intellectus, voluntas.

Secvndvm est, omnes has decem potentias, si appetitum sensitivum ac voluntatem excipias, esse apprehensivas, id est, adeo vivide obiecta suis actibus re-

praesentare, ut quodammodo illud prehendant, et attrahant, et in seipsis per imaginem, quam ab obiecto capiunt, constituant. Dixi «vivide,» quia omnis actus vitalis potentiae, licet minus vivide, sua obiecta aliquo modo repraesentat; aliter enim intelligi nequit, illa esse obiecta vitalis actus. Appetitus autem sensitivus et voluntas sunt potentiae appetitivae, quae nempe moventur relate ad obiecta; sive ut appetendo, eis adhaereant; sive ut aversando, ab illis amoveantur, iuxta diversam boni vel mali rationem, qua appetitui imaginatio, et voluntati intellectus, illa proposuerit. Hic vero motus, utpote liber, perfectior est in voluntate, quam in appetitu sensitivo.

Tertivm est, imaginationem, iuxta omnes Philosophos, in apprehendendis obiectis, una quum sit, respondere quinque corporeis sensibus; ornarique proinde quinque facultatibus seu virtutibus, aptis ad quinque actuum species: qui certe, licet sint imaginationes, respondent pariter quinque actibus sensuum exteriorum. Hanc enim maiorem perfectionem atque extensionem tribuit Deus imaginationi, ut postulabat ordinata hominis compositio: idque experimur in somniis, in quibus una imaginandi facultas, inter apprehensivas, operatur; sensus enim exteriores et intellectus tunc ab operando cessant; videmur tamen inter somniandum obiecta apprehendere, id est, vividas eorum species effingimus, alia videndo, alia audiendo; nunc olfacimus, nunc gustamus, aut palpamus.

Hisce preiactis, intelligitur ratio mentaliter orandi per sensuum applicationem, seu, ut in secunda hebdomada loquitur S. Ignatius, per «quinque sensuum applicationem.» Facultates enim seu virtutes imagina-

tionis, quas nuper diximus, vocari possunt, ut reapse vocat S. Pater, «quinque sensus interiores;» nam et numero quinque sunt, et pertinent ad sensum interiorem, qui est ipsa imaginatio: horum autem quinque sensuum seu potentiarum actus in mentali oratione exercere iubemur, neque solum in sequentibus hebdomadis, sed iam in hac prima, ut aliquam experientiam capiamus; et quidem in exercitio de poenis damnatorum, quarum atrocitas facilius reddit exercitium. Actus quidem primi sensus interioris exercendus est in primo puncto, videndo «visu imaginationis ingentes illos ignes, et animas, velut in corporibus igneis.» Secundi vero, in secundo puncto, audiendo «auribus imaginationis planctus, ululatus, clamores,» etc: et ita porro, ut habet textus.

Animadvertamus oportet, Sti. Patris mentem haudquaquam esse, ut in his actibus sistamus; quia sunt actus solius virtutis imaginativae, ac proinde nondum sunt actus mentalis orationis proprii, quae operationes intellectus et voluntatis requirit, ut alibi docuimus. Mens igitur Sti. Ignatii haec est, ut intellectu, vehementibus imaginationis actibus adiuto, vividior acriorque excitetur atrocissimarum poenarum cognitio; cui respondens voluntas, in vehementiores itidem affectus erumpat; sive hoc fiat per adquisitam contemplationem, sive per meditationem affectivam, sive alia quacumque ratione, quae plus afferat utilitatis.

Illud non est hic silentio praetercundum: eam esse dependentiam intellectus ab imaginatione, eamque inter actus duplicis huius potentiae exstare similitudinem, ut sensus, quos imaginationi tribuimus, intellectui etiam tribui soleant: non quod reapse exstent in

intellectu, potentia spirituali, veri nominis sensus: hi enim sunt materiales facultates: sed metaphorice dumtaxat, et per quamdam similitudinem: quibus quidem mentalibus sensibus eadem nomina, eosdemque actus, quos corporeis, tribuimus.

Horum ergo mentalium sensuum actus profecto ad mentalem orationem pertinent; deque illis intelligendi sunt nonnulli Sacrarum Litterarum textus, ut puta: «Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum [1].» et «Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus [2].» Ita pariter intelligendus S. Ignatius in exercitio secundae hebdomadae per sensuum applicationem, verbi causa in puncto illo: «Tertium est odorari et gustare infinitam suavitatem ac dulcedinem divinitatis, animae, eiusque virtutum,» etc. Quum enim haec omnia spiritualia sint; sensu, ac proinde imaginatione, percipi nequeunt, sed intellectu dumtaxat et voluntate. Quoniam vero ipsa hominis natura, cui gratia attemperare se solet, postulat, ut intellectioni praeeant phantasmata, obiecti similitudinem gerentia; ideo Stus. Ignatius initium etiam ab imaginatione sumendum existimavit.

In quonam igitur sensuum applicationes consistant, hactenus exposuimus. Ad eas autem instituendas, Stus. Ignatius minime obligat: nam praeterquam quod ab eis, (eodem modo, quo supra de repetitionibus dicebamus), instituendis absolvit; ea erat illi norma, ut quisque ea ratione Exercitiis uteretur, qua plus se proficere intelligeret: ipse tamen plurimi aestimabat, et si

1 Cant. I. 3.
2 Ps. XXXIII. 9.

tempus suppetat, profecto non sunt omittendae. Post primam enim hebdomadam, quando Exercitia versantur circa mysteria vitae Christi, (haec namque ob miram vim, qua Christus Redemptor animos ad se allicit, ad sensuum applicationes aptissima sunt), post duplicem repetitionem, postremam meditationis horam applicandis sensibus totam adscribit. Edoctus videlicet a Christo eiusque Matre beatissima fuerat, efficacissimum id, facillimumque futurum ei, qui rite fuerit dispositus: efficacissimum quidem, quia ipsa rerum quaedam experientia ad eas mirifice allicit; facillimum vero, quia non multos discursus postulat. Quare tempus, huic applicationi adsignatum, est postrema hora, quando nempe praecedentibus illius diei exercitiis dispositi ad eam accedimus; imo, fortasse defatigati. Monet tandem Directorium (Cap. XX, 1) ut fiat cum omni reverentia, praesertim quando ad res sacras sensus applicantur.

Quaeres, quaenam erit facilis praxis huius sensuum applicationis in hodierna tradendorum Exercitiorum consuetudine. Respondeo, destinari posse ultimam semihoram horae secundae, quam supra secundae repetitioni designavimus, secunda hac repetitione omissa [1]. E re profecto erit, ut praxis huiusmodi applicationis incipiatur ab hoc exercitio de poenis damnatorum. Id tamen non intelligendum est, quasi hoc exercitium per solam sensuum applicationem faciendum sit: Stus. enim Ignatius ea solummodo forma proposuit, ut brevitati consuleret; eius vero mens fuit, ut primo, puncta sub consueta forma distinguerentur, proponerenturque;

1 Loquitur Auctor de consuetudine suo tempore communi.

deinde, habendam esse punctorum, ita explanatorum, meditationem cum repetitione; denique, adhibendam sensuum applicationem; ut facile evincitur ex ratione, qua alias sensuum applicationes in operis decursu proposuit; haec autem ratio potiori iure in hac servanda fuit, quae est omnium prima, et eis, qui exercentur, prorsus nova.

In colloquio huius exercitii notatu digna est divisio illa damnatarum animarum, a Bto. Patre proposita, ut nos cum illis conferendo, melius cognoscamus quantum sit beneficium, quod illis poenis minime plectamur. Illis autem verbis «Aliae eo quod adventum [eius] non crediderunt, aliae [quod] credentes non operata sunt iuxta eius mandata,» innuit illam Sanctorum Patrum doctrinam, hodiernis iam temporibus communem, iuxta quam etiam ante Christi adventum, ad aeternam salutem consequendam fuit necessaria fides in Christum, non certe explicita, ut nunc requiritur, sed implicita, tamquam in mundi Servatorem a Deo mittendum. Idque Stus. Ignatius silentio praeterire noluit: tum quia vehementer Christum diligebat, tum ut nos diligere studeremus.

Quod vero ait «eo quod adventum eius non crediderunt,» non intelligit nullum aliud peccatum habuisse, quam peccatum non credendi in Christum; sed carentiam fidei in Christum fuisse suae salutis impedimentum; sive id fuerit in eis peccatum, eo quod sufficiens lumen habuerint, ut in Christum crederent, sive fuerit, ut loquuntur Theologi, peccati poena, quatenus lumen, quo caruerunt, ut in Christum credere possent, denegavit Deus in poenam aliorum peccatorum, quae admiserant.

Tandem post colloquium addit vulgatus interpres: «Si visum erit ei, qui tradit Exercitia, expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adiicere, ut de morte ac aliis peccati poenis, de iudicio, etc., non se putet prohiberi, licet hic non adscribantur.» Quod quidem additamentum, (sicut et alia omnia, quae in vulgata versione reperiuntur), potius censendum est explanatio quaedam, quae iam in textul hispanico subintelligenda erat, spectato primae hebdomadae fine, et paucitate exercitiorum ei a Sto. Patre adscriptorum: eorum determinatione, quae a variis pendet circumstantiis, Instructorum prudentiae commissa.

SECTIO IV

DE DOCVMENTIS IN FINE PRIMAE HVIVS HEBDOMADAE A STO. IGNATIO TRADITIS

Duplex documentorum species traditur in fine primae hebdomadae: additiones decem ad Exercitia melius agenda, et ad affectus, qui desiderantur, inveniendos; et notae quatuor, quae ad praedictas additiones referuntur. Quae videlicet duo in hac sectione coniungimus, quia in hunc scopum tendimus, et hac regula ducimur, in dividenda Ignatiani textus materia, ut quae ipse de una re diversis sparsim in locis docuit, in unum congeramus; quo eiusdem verbis plenius lectores erudiantur; et postquam ita eruditi fuerint, gradum, si libuerit, faciant ad ea, quae nos addenda iudicamus.

CAPVT I

DE PRIMA AC SECVNDA ADDITIONE

Quamvis de rebus primo intuitu parvis agatur in plerisque harum additionum; eae tamen gravissimi sunt momenti, ex quibus, ut monet Directorium (Cap. XV. §. 9.) «valde pendet fructus spiritualis Exercitiorum.» Et ratio est, quia Spiritus Sanctus, ut sua nobis dona in oratione communicet, postulat ex parte nostra praeparationem. «Ante orationem, monet ipse, praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat

Deum [1]:» ut enim Theologi interpretantur, Deum tentat, quicumque finem intendit, neque mediis utitur. Huiusmodi autem ad orationem praeparatio in additionibus magna ex parte continetur. Ideo Christus eiusque Mater beatissima eas Sto. Ignatio suggesserunt; qui tanti easdem facit, ut in reliquis omnibus hebdomadis, variatis nonnullis, prout adiuncta postulant, iterum et saepius commendet. Sed iam de singulis aliqua.

De prima ergo ac secunda hoc dicendum ocurrit, bis certe exercendas esse ab eo, qui antiquam illam temporis distributionem servet, iuxta quam bis a somno excitandus est; primum quidem, media nocte ad primum exercitium agendum; secundum vero, mane ad secundum exercitium: si vero quis, iuxta communiorem nunc consuetudinem, semel tantum e lecto surgat, semel pariter has additiones exerceat.

Sciendum praeterea est, Ignatiana documenta non ad tempus dumtaxat Exercitiorum circumscribi; sed ulterius sese protendere, quantum nempe ad maiorem animi profectum conferre possunt: hoc enim fine scripta sunt. Quapropter, duplex haec additio toto anni tempore, quando quis matutino tempore oraverit, exercenda pariter est.

Prima igitur additio, qua praescribitur, ut «post cubitum, quando iam dormire volo, per spatium unius Ave Maria cogitem de hora, qua surgere debeo, et ad quid, resumendo exercitium, quod mihi faciendum est,» quatuor potissimum affert utilitates: prima est, quia erit medium, ut prava somnia caveamus: solent

1 Eccli. XVIII. 23.

enim ea cogitationibus similia esse, quas ante somnum habuimus; secunda est, quia facilius hora proposita expergiscemur, si quidem hac cura dormire coeperimus; tertia est, quia elapso diei finem imponimus actu, qui certe Deo placet; quarta est, quia brevis illa exercitii faciendi retractatio, animo facta, id efficiet, ut mane illico orare possimus, quin tempus teramus revocando in memoriam praeludia, quae, servata hac additione, facile recordabimur. Vnde, ante omne exercitium faciendum, oportet brevem huiusmodi retractationem fieri; ut eruitur ex ipso Ignatio in nota 3 post quintum secundae hebdomadae exercitium: «Statim ut recordabor adesse horam exercitii, quod facere debeo; antequam vadam [ad illud], ob oculos mihi ponam quo vadam, et coram quo, resumens paululum exercitium, quod facturus sim.» Imo, ut huiusmodi retractatio sit facilior, ipse Btus. Pater saepe exercitiis inscriptionem apponit, quae ipsorum sit veluti brevissimum compendium; enumerat enim praeludia, puncta, et huiusmodi caetera.

Nec minorem affert utilitatem additio secunda: nam exclusio illa aliarum omnium cogitationum, a meditatione proxima alienarum, adiunctis praesertim huic congruis considerationibus, plurimum iuvat ad mentalem orationem rite habendam; sicut e converso, admissio alienarum cogitationum eam magnopere impediret. Merito igitur monebat S. Pater, pro viribus esse nobis curandum, ut primae cogitationes, sive mane advenientes, quando e somno excitamur; sive noctu, quoties casu aliquo expergiscimur, piae ac sanctae essent: ne forte daemon, tunc quando mens ab aliis cogitationibus libera est, pravam aliquam cogitationem iniiciat, qua postea nos divexet.

Quod autem diximus de fovenda proxima meditatione per congruam cogitationem, id minime impedit, quominus mane, ante mentalem orationem, operi ineuntis diei Deo offeramus, precesque alias recitemus.

CAPVT II

DE SEQVENTIBVS SEPTEM ADDITIONIBVS

Tertia additio est huiusmodi: «Vno vel duobus passibus ante locum, in quo contemplaturus sum vel meditaturus, stabo spatio unius Pater Noster, elevata sursum mente, considerans quomodo Deus Dominus noster me respiciat: et facere [oportebit] actum reverentiae seu humiliationis,» eo nempe fine, ut cum mentali oratione actum etiam exteriorem coniungamus; ac proinde foveamus atque excitemus imaginationem considerationemque proximae nostri cum Deo sermocinationis. Adeo profundam didicit B. Pater philosophiam a Christo eiusque Matre beatissima, ut penitus intelligeret, agnosceretque, quantum in homine a phantasmatibus intellectiones, atque ab exteriori opere pendeant phantasmata!

Eiusmodi vero exterior actus rectius omitteretur, quoties in publico fiat oratio; reverentia autem illa seu humiliatio, cuius in hac additione meminit, et cui Stus. Ignatius adiungebat verba illa «Gloria Patri» etc., melius erit ut sit interior in spiritu. Hanc fuisse Bti. Patris mentem, infertur tum ex his, quae infra in secundo Notando scripsit de quarta additione: «Quarta additio numquam fiet in Ecclesia coram aliis, sed tantum in occulto, ut domi, etc.;» tum ex eo, quod an-

tea diximus, parum ei placuisse huiusmodi exteriores actus, si publice fierent.

Circa quartam additionem animadverto in primis, verbis illis «intrare in contemplationem» intelligi a Sto. Ignatio «facere orationem praeparatoriam.»

Praeterea, duplici parte constare hanc additionem. Prior agit de corporis positione inter orandum, ut nempe exteriori reverentia interiorem, qua cum Deo agere debemus, comitemur, foveamus, excitemus. Neque mira aut aliena videantur illa «prostratus in terram» et «supinus» «Prostratus enim in terram,» sive prorsus iacens, sive non omnino iacens, ore in terram verso, oravit in horto Patrem unigenitus eius Filius, qui certe [1]: «Procidit in faciem suam, orans, et dicens.» «Supinos» vero, id est, iacentes aut inclinatos, ore ad caelum verso, multos Sanctos orasse constat: haec praeterea orandi ratio aegrotantibus apta esse solet.

Verum communior situs, ad mentem Bti. Patris videtur esse genuum flexio, quam proinde primo loco nominat, additque: «si invenio id quod volo genuflexus, non pergam ultra,» nempe, alium situm tentando; haec enim positio est in Ecclesia Dei usitatior, usurpata tum ab antiquis Israelitis [2], tum ab Apostolis [3], tum denique ab ipso Christo Domino [4]. Illorum vero gratia, qui vel ob debilitatem vel defatigationem genibus flexis orare toto tempore non valeant, meminit et sessionis et stationis; quibus certe si adiungatur humi-

1 Matth. xxvi. 39.
2 3. Reg. viii. 54. et Dan. vi. 10.
3 Act. ix. 40. et xx. 36.
4 Luc. xxii. 41.

litatis aliqua consideratio, devotionem etiam fovere possunt. Ipse Btus. Pater, iam senectute debilitatus, saepe in parvo scamno sedens, oculis in caelum fixis, orabat.

Altera pars huius quartae additionis respicit moram, in punctis exercitii seu meditationis nonnumquam faciendam. Postquam enim de situ dictum est, «Si invenio id quod volo genuflexus, non perga multra,» additur: «In puncto, in quo invenero id, quod volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ulterius.» Id postulat tum nostra utilitas, tum reverentia erga Spiritum Sanctum. Vtilitas quidem; si enim habeas id, quod quaerebas, quid ulterius progrediare? nihil alioquin radicitus in animo defiges. Reverentia vero; si enim Spiritui Sancto placeat, illa via nos ducere, quidni sinamus? Neque obstat, fore, ut puncta aliqua percurrere meditatione non possimus. Primo quidem, quia ad ciendos affectus, hebdomadae vel etiam exercitio cuilibet proprios, non sunt puncta omnia necessaria. Deinde vero, maiorem capies utilitatem, si punctum unum penitus hauseris, quam si plura obiter percurras. Postremo, quamvis omnia nunc puncta considerare non liceat; at licebit in posterum, si attentius lecta vel audita, maneant memoriae infixa, ut supra dicebamus.

Circa quintam Additionem illud ocurrit dicendum, Stum. Ignatium magni fecisse examina, eaque se existimasse ad operum emendationem perfectionemque obtinendam esse media efficacissima. Quare praeter examina illa tria, quae initio primae huius hebdomadae docuit, hortari solebat, ut post quodlibet opus alicuius momenti, maxime quando quis illud exercere inci-

piebat, peracti operis examen institueretur; idque in Constitutionibus [1] convenire scribit Confessariis, audita aliqua confessione, praesertim in principiis. Quum igitur mentali orationi per horam incubuisse opus alicuius momenti esse existimet; nihil mirum si eiusdem examen praescribat, cum suavitate quidem instituendum, nempe sedendo aut deambulando.

Circa sextam Additionem dico in primis, Stum. Ignatium non modo postulare congruas mentali orationi habendae cogitationes, pro eo tempore, quo vel e somno excitamur, vel e lecto surgimus; verum etiam eas interdiu fovere summopere expedire censet: hic ergo considerationes de morte ac de iudicio, tamquam primae hebdomadae congruas assignat; reiicit autem, tamquam ipsi incongruas, cogitationes de caelitum gloria, de Christi resurrectione, et huiusmodi alias.

Neque tamen ab eius mente videtur esse aliena consuetudo illa, in Hispaniis vulgo recepta [2], ut in prima hebdomada proponatur meditatio de gloria beatorum. Mens enim Beati Patris ea est, ut per cogitationem de caelitum beatitate, laetitiae affectus non excitemus; qui quidem affectus, eorumque similes, potius ad quartam hebdomadam, viamque unitivam pertinent. Nam illa meditatio in prima hebdomada proponitur, non ad laetitiam excitandam; sed e contrario, ad ciendos affectus doloris ob admissa peccata, et amissam, quantum in nobis fuit, beatitatem, quam per peccatum cum aeternis damnatorum poenis commutavimus.

1 P. IV. Cap. VIII. §. 4. D.

2 Hodiernis temporibus, saltem apud Nostros, vix est in usu consuetudo huiusmodi.

Addi solent praeterea considerationes nonnullae de vilitate mundanorum bonorum cum bonis caelestibus collatorum.

De septima, octava et nona additionibus illud dicendum, esse eas totidem exquisitae prudentiae regulas. Prudens etiam, et Bti. Patris prudentiae conformis est, Directorii (Cap. XV) admonitio, (quae quidem ad septimam potissimum spectat), in his opus esse discretione; ut si qui essent, exempli causa, natura melancholici, iis certe animus non nimium coarctandus, sed potius dilatandus esset.

Animadverte tandem quae habentur in nona. «Refraenare, inquit oculos [ne quem respiciam] nisi in excipiendo vel dimittendo eo, *cum quo locutus fuero*, [vel loquendum mihi fuerit.]» Quae videlicet ideo dicit Btus. Pater, quia id postulat urbanitas, virtus ab eo semper magno in pretio habita, quia facile aut ad humilitatem aut ad charitatem erga proximum assurgit.

CAPVT III

DE ADDITIONE DECIMA, SEV DE POENITENTIA

Duplicem Stus. Ignatius in hac decima Additione distinguit poenitentiam proprie sumptam: alteram *internam*, consistentem in dolore de peccatis admissis cum proposito in posterum non peccandi; alteram *externam*, seu corporis castigationem in peccati satisfactionem. Addit externam esse fructum internae, quatenus externa ab interna fluit, quemadmodum fructus ab arbore: si enim vere de peccatis dolemus, consequens est, ut Deo satisfacere velimus, in corpore nostro illa castigando, vindictamque de iis sumendo. Quare, quemadmo-

dum arborem, quae fructum non proferat, coniicimus vitiatam; ita prorsus falsam suspicari licet internam poenitentiam, quae cum exteriore non coniungatur. En primum documentum in hac additione a Sto. Patre traditum, in prima hebdomada profecto peropportunum, in qua utriusque poenitentiae internae externaeque affectus ciendi sunt. Itaque, ut rite peragantur Exercitia, maxime in prima hebdomada, poenitentia procul dubio adhibenda est.

Verum in tota reliqua Additione nomine externae poenitentiae intelligit Btus. Pater, cum multis aliis, quamlibet corpoream afflictionem propter Deum voluntarie sumptam: quae vocari etiam solet *exterior mortificatio:* et in ea explicanda longior est, quam fuerat in aliis Additionibus. Christus enim eiusque Mater beatissima rem esse magni momenti docuerant, ut huiusmodi poenitentiam christiani omnes exercerent, tum ut Deo pro admissis peccatis defectibusque satisfacerent, tum ut socii fierent passionum Christi Redemptoris, qui tot tantasque pro nobis pertulit poenas, non modo in anima sanctissima, verum etiam in sacratissimo corpore. Rem praeterea fusius tractat, quia multi a daemone decepti, neque pacem illam experti atque dulcedinem, quam a Deo annexam habet poenitentia, variis eam praetextibus effugiunt: exempla atque doctrinam Sanctorum omnium minime attendentes, speciatim Pauli Apostoli scribentis: «Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar [1].» Exempla etiam poenitentiae, quae in vita Bti. Patris leguntur, quis non miretur?

1 1. Cor. IX. 27.

Ad triplicem iam poenitentiae rationem transeamus, quam hic, iuxta antiquum perpetuumque Ecclesiae morem explicat Stus. Ignatius. Prima quidem est, ut a victu subtrahamus; secunda vero, ut a somno; tertia tandem, ut corpori poenas infligamus.

Quod ad primam pertinet, describit Stus. Pater propriam exterioris poenitentiae naturam illis verbis: «Quando tollimus [subtrahimus] superflua, non est poenitentia, sed temperantia: poenitentia est, quando de conveniente subtrahimus.» Externa enim poenitentia, ut docent Theologi, est virtus, qua in rebus externis Deo satisfacimus, de peccatis, in eum admissis, vindictam sumendo. Quum ergo Deum offenderimus in iis, quae divino honori convenientia ac debita sunt; oportet, ut poenitentia in iis versetur, quae nobis sunt convenientia ac debita. Quamvis enim summum illud ius, quo universa Deo debentur, improprio iuri, quo nobis nostra debentur, longissime praestet; Deus tamen ex infinita sua bonitate nostram hanc admittit compensationem.

Quare docent etiam Theologi, non esse sufficientem causam excusandi a ieiuniis ab Ecclesia praescriptis, si ita sint contra id, quod nobis est conveniens, ut nonnihil valetudini noceant: id enim iam supponit Ecclesia futurum, eo ipso quod ieiunia tamquam poenitentiam imponit. Prudenter vero S. Pater: «Dummodo, ait, non corrumpatur [vitietur] subiectum [s. natura],» ita videlicet, ut ad divinum servitium ineptus reddatur homo: neque probabiliter «sequatur infirmitas notabilis:» id enim etiam a praescriptis poenitentiis excusaret.

Ad rationem victus iuxta temperantiam, non iuxta

poenitentiam, moderandi, spectant mirabiles illae «Regulae ad ordinandum se in posterum in victu,» quae habentur in fine tertiae hebdomadae.

De altera poenitentiae ratione, id est, de subtractione somni, aliter quam de victu loquitur Stus. Ignatius. Quum enim de victu docuerit poenitentiam esse, si de convenientibus alimentis subtrahatur; quod ad somnum attinet, de modo dumtaxat loquitur, nempe, ut mollia ac delicata e strato auferantur: de somno autem convenienti nihil esse demendum, expressis verbis tradit. In quo, sicut et in aliis, eius prudentia elucet: docent enim medici, plus nocumenti afferre somni, quam victus, subtractionem. Excipit tamen casum, in quo quis «habeat consuetudinem vitiosam dormiendi nimium:» tunc enim praeter causas, superius allatas, subtrahendi de eo, quod est conveniens; alia exstat, nempe, ut res in debito medio constituantur; quod quidem sine aliqua vi obtineri nequit.

Denique, quae docet Btus. Pater de tertia poenitentiae ratione, seu de dolore corporeo, facillima captu sunt. Nonnulli tamen, quod ea non observant, naturam vitiant corrumpuntque, quum imprudenter, tum contra Dei voluntatem agentes, qui vult, ut corporeas vires servemus ad ipsius obsequium, iuxta proprium statum eiusque circumstantias. Illud autem est magis admiratione dignum, huiusmodi poenitentias eos exercere praecisse, ut vitent id, quod est in poenitentia praecipuum, dolorem nempe corporeum; quem quidem minorem experiuntur in poenitentiis, quas exercent. Itaque peccari hac in re potest, tum per defectum, tum per excessum. Per excessum quidem, impediendo maiora bona, maiusque Dei obsequium: per defectum au-

tem, nimium sensualitati indulgendo. Vtrumque scopulum vitabis, si a Directore aut Confessario regi te sines, ut in Constitutionibus praescribit Btus. Pater.

CAPVT IV

DE QVATVOR NOTIS DECIMAE ADDITIONI SVBIECTIS

Quatuor hae notae ad Additiones, ut diximus, referuntur. Circa primam illud dicendum est, ex triplici exteriorum poenitentiarum effectu seu fine, quem ipsis assignat S. Pater, primum, id est, ut pro delictis praeteritis Deo nonnihil satisfaciamus, pertinere ad poenitentiam proprie sumptam; ut patet ex eius definitione, praecedenti capite explicata: reliquos vero duos non ad eam pertinere; utilissimi tamen sunt. Secundus autem finis, quem exprimit Sanctus militari illa, pro suo ingenio, loquutione «vincere seipsum,» summopere confert ad compescendas in ipsa radice inordinatas affectiones, quae ex nimio corporis vitio otioque oriuntur: quare, quoties ex his duobus nascuntur tentationes, efficax contra eas remedium est poenitentia; neque sola oratio sufficit, iuxta illud Christi Domini: «Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et ieiunio [1].» Denique tertius, ut nempe aliquod impetremus divinae gratiae donum, quod optamus, magis est generalis, ad quem obtinendum, medium, potius quam remedium, sunt exteriores poenitentiae.

Circa secundam notam animadvertendum est, non esse Sti. Patris mentem, ante alia exercitia (praeter duo, quae fiunt media nocte, et sub auroram,) non es-

1 Marc. IX. 28.

se resumendum exercitium; sed id tantum ibi significari, non resumendum esse ante quam dormire incipiamus: caeteroquin, ante alia omnia, resumendum praescribit, ut supra docuimus.

Alterum, quod additur, quartam Additionem non esse in templo et coram aliis exsequendam, intelligendum est de actibus dumtaxat exterioribus et publicis, qui singularitatis speciem prae se ferunt; quales sunt humi se prosternere, aut supinum iacere, etc.; non vero respectu aliorum actuum, quibus animi reverentia exhibetur; imo, isti actus in templo ac domo Dei magis sunt necessarii.

Illis tertiae notae verbis «quando ille, qui se exercet, nondum invenit id, quod desiderat, ut lacrymas, consolationes, etc.,» docemur, tum excessum, tum (id quod crebrius evenit) defectum poenitentiae, causam esse, quod in Exercitiis non inveniamus illustrationes illas atque affectus, quos optamus. Quare mutationem aliquam in poenitentiis vel nos facere debemus, consulto Instructore, ut supra dicebamus; vel ipse Instructor imperare debet. Suavis enim Dei providentia rerum veritatem ordinarie non aperit, nisi nos ad eius inquisitionem cooperemur, alia et alia experimenta (si priora non sufficiant,) tentando, donec res comperta habeatur: ad ea pertinent hic praescriptae in poenitentiis mutationes.

Quod in quarto notando praecipit Stus. Ignatius, ut particulare examen per universas Exercitiorum hebdomadas ad tollendas culpas et negligentias, quae non modo circa Exercitia, verum etiam circa Additiones obrepere solent; ostendit profecto quanti Additiones ipse fecerit. Magni nos eas pariter aestimemus; ac si

cum eis caetera etiam observemus, quae de oratione praeparatoria ac de praeludiis ad recte habendam mentalem orationem edocti sumus; speremus fore, ut inter orandum vix animi evagationes patiamur; nisi forte Deus, ad maiorem nostrum profectum, eas nos pati voluerit. Ad id autem Ignatianae Adnotationes nos praeveniunt atque instruunt: quod vero in toto libro de iis animi evagationibus sileat, signum est habuisse hanc spem, liberos nos ab illis futuros.

SECTIO V

DE SECVNDA HEBDOMADA IN GENERE, DEQVE EXERCITIIS PRIMA DIE FACIENDIS

CAPVT I

DE AFFECTIBVS IN SECVNDA HEBDOMADA CONCIPIENDIS

Iuxta ea, quae superius [1] promisimus, initio huius secundae hebdomadae explicabimus primo affectus virtutum huic hebdomadae proprios, et allatas a Sto. Ignatio exercitationes esse ad eos excitandos maxime idoneas; secundo, quomodo, ne ipsorum affectuum multitudo mutuo se impediat, illis potissimum Btus. Pater insistat, qui sunt et efficaciores, et aliorum fundamentum; quibus nempe adquisitis, caeteri facilius exerceri poterunt, quandocumque opus fuerit: tum qua arte affectus praecedentium hebdomadarum in sequentibus evehat, perficiatque: tertio denique, nonnulla attingemus, quae gravioris esse momenti videantur.

Affectus igitur huic secundae hebdomadae proprii pertinent ad virtutes illas, quae aut directe opponuntur affectionibus inordinatis deordinatione solius defectus culpabilis ad bona mundana, generatim sumpta, aut huiusmodi oppositionem specialiter fovent. Ad prius hoc genus revocantur virtutes illae, quae secum afferunt dictorum culpabilium defectuum detestatio-

1 P. II. Sect. I. Cap. II.

nem, quales sunt dolor de admissis his defectibus, propositum eos cavendi, humilitas, quam vocant confusionis, ob illos admissos, etc. Ad posterius vero genus pertinent illae, quae licet minus immediate referantur; voluntatem caeteroqui non parum corroborant; ut contemptus ac detestatio mundanorum bonorum, non modo ob eorum vilitatem, et quatenus in peccandi nos periculo constituunt, (id enim hebdomadae primae est); verum etiam quatenus periculo culpabilium horum defectuum admittendorum nos exponunt, perfectionisque consequutionem impediunt. Huiusmodi vero virtutes quum sint numero plures, tum ob motivorum diversitatem, tum quia cum aliis commiscentur et coniunguntur; omnia paene, quae supra [1] docuimus, ipsis applicari possunt.

Hoc autem duplex virtutum genus exercuit ad nostram doctrinam Christus Dominus in suae vitae mysteriis ante passionem, ut initio dicebamus. Statuto igitur speciali subsequentium trium hebdomadarum principio ac fundamento, quod proponitur in Regno Christi, ut statim dicemus; in tota secunda hebdomada ponit ob oculos Btus. Pater illa Christi mysteria: in media vero hebdomada proponit exercitium de duobus vexillis, cum duplici eius appendice, id est, exercitiis de triplici hominum classe, ac de tribus humilitatis gradibus; quae omnia et Regno Christi, et mysteriis vitae ipsius, apprime respondent. Quo autem affectus, in hac hebdomada excitandi, firmiores stabilioresque defigantur, (non tamen exclusis aliis causis), status electionem, aut saltem reformationem, proponit.

1 P. II. Sect. I. Cap. III.

Ad alterum quod attinet, nempe quomodo Stus. Ignatius iis affectibus insistat, qui magis sunt fundamentales atque efficaces, et quomodo affectus primae hebdomadae in hac secunda confirmet, in melius provehat, atque adaugeat; etiamsi ubere rerum copia declarari id posset; sufficit tamen considerare, quid agat in exercitio de duobus vexillis, eiusque duplici appendice. Haec enim, ob miram illam consonantiam, qua exercitio de Regno Christi respondent, divina quadam, paene dixerim, ratione determinant reliqua omnia, non modo secundae huius hebdomadae, verum tertiae etiam et quartae, exercitia, ad exactissimam Christi imitationem in amore paupertatis, opprobriorum ac dolorum. Qui quidem amor, seu potius amores, sunt maxime omnium fundamentales efficacesque virtutes ad alias omnes virtutes, quoties occasio se obtulerit, exercendas, quae aut directe opponuntur affectionibus ad mundana bona, generatim sumpta, deordinatione solius culpabilis defectus deordinatis, aut huiusmodi oppositionem speciali ratione fovent: omnibus enim his affectionibus inordinate afficimur ad divitias, ad mundanum honorem, ad voluptatem, ut supra dicebamus, et postea fusius explicabimus. Exercitium autem de duobus vexillis, cum duplici eius appendice, proposuit quidem in secunda hebdomada, ut maturius in eos, qui exercentur, influat; non vero in ipso hebdomadae initio, sed in medio, ut illi paratiores accedant; nisi malis dicere, maxima haec bellica tormenta in mediis castris collocare voluisse.

Inde intelligitur ratio, qua affectus primae hebdomadae confirmet, in melius provehat, atque adaugeat. Primo enim confirmat: nam affectus, quo mundana

bona, divitias, inquam, honorem, voluptatem detestamur, quatenus eorum amor aut peccatum est, aut in periculo peccandi constituit, (hic enim est affectus primae hebdomadae proprius), magnopere sane confirmatur ipsorum bonorum detestatione, quatenus eorum amor peccatum quidem non est, sed defectus dumtaxat culpabilis; quia minoris mali detestatio confimat detestationem maioris. Praeterea in melius provehit: quia minoris mali detestatio detestatione maioris est excellentior. Denique adauget: coniungit enim cum aliis affectibus, quibus mysteria vitae Christi Domini scatent.

Circa tertium, nempe, circa alia, quae ad hanc secundam hebdomadam generatim spectant, et gravioris sunt momenti, tria hic dicenda occurrunt. Primvm est, in hac hebdomada frequentiores fortasse interiores luctas nos experturos; tum quia, ut supra dicebamus, arma iam convertimus in novum, eumque pertinacem, inimicum, inordinatas videlicet affectiones, quae eo ipso, quod peccatum non continent, difficilius auferri solent; tum etiam propter acrius bellum nobis a cacodaemone indicendum; qui cernens nos ultra animi salutem adipiscendam, quam in prima hebdomada consequi statuimus, ad ipsius perfectionem adspirare, vehementius in nos furit: eo enim ingenio est, ut acrius doleat unius perfectionem, quam salutem multorum. Secvndvm est, non ideo nobis animo despondendum esse; imo vero, fiduciam maiorem in Deum excitandam, fore ut, gratiae auxilia uberiora ipse largiatur, quam necessaria erunt ad victoriam in huiusmodi certamine consequendam. Tertivm est, magni nobis hanc hebdomadam esse faciendam, eo ipso quod ini-

micus tot arma in eam congerat. Praeterea, quia mysteria Christi, eiusque Matris purissimae, uberrimam suavissimamque continent doctrinam.

CAPVT II

NONNVLLA VNIVERSIM NOTANDA IN EXERCITIO DE REGNO CHRISTI

In secundam hebdomadam nos introducit Stus. Ignatius hoc exercitio, apposita illa simplicissima inscriptione: «Vocatio Regis temporalis iuvat ad contemplandam vitam Regis aeternalis:» quam quidem paulo politiori sermone ita vertit vulgatus interpres: «Contemplatio regni Iesu Christi ex similitudine Regis terreni subditos suos evocantis ad bellum.» Hinc ab aliis hoc exercitium vocatur *De vocatione Christi;* ab aliis *De regno Christi;* ab aliis tandem *De imitatione Christi;* et reapse de tribus his rebus in ipso generatim agitur.

Illud autem prae oculis habendum, quemadmodum exercitium de fine hominis ita ad primam hebdomadam pertinet, ut simul sit universarum quatuor hebdomadarum principium ac fundamentum; eodem modo hoc exercitium ita ad secundam pertinere, ut trium pariter aliarum principium ac fundamentum sit, quae primam hebdomadam subsequuntur. Quamvis enim id Stus. Ignatius minime exprimat, tum quod brevior esset ipse, tum quod res per se pateat; satis tamen indicare videtur: nam et hoc exercitium ante caetera omnia collocat, et illud non inscribit *primum*, utpote quod sequentibus tribus hebdomadis respondet; praesertim quum tertiae et quartae nullum praeponat exercitium, quod earum sit principium et fundamentum.

Ratio autem cur huiusmodi exercitium sit harum trium hebdomadarum principium ac fundamentum, eadem est, quam supra [1] attulimus, loquentes de fine hominis, quasi principio ac fundamento universarum quatuor hebdomadarum, ut consideranti patebit. Idque facile intelligi potest. Quemadmodum enim ex proposito ultimi finis obtinendi alia omnia proposita oriuntur per quatuor hebdomadas concipienda; ita similiter ex proposito imitandi Christum Dominum alia omnia proposita oriuntur, concipienda per reliquas tres hebdomadas, quarta non exclusa: in hac enim proposita concipiuntur imitandi virtutes, quas post gloriosam resurrectionem in apparitionibus exercuit, latiorem excellentioremque viam sternens ad exercendam charitatem seu Dei amorem, ob infinitas Eius perfectiones, et gratitudinem seu amorem ob innumera beneficia hominibus collata.

Dicet aliquis, oriri etiam proposita primae hebdomadae propria, quae contra peccatum concipiuntur; quum tota Christi vita contra peccatum tetenderit, et pro nostris peccatis tot poenas perpessus fuerit: quamobrem hoc exercitium primae etiam hebdomadae potest esse principium ac fundamentum. Respondeo, haec vera esse: verumtamen ad proposita, primae hebdomadae propria, concipienda, alia exercitia praerequiruntur, ut faciliores quaedam cognitiones atque affectus excitentur.

Tria nunc veniunt generatim de hoc exercitio explicanda. Primvm est, duplici constare parte clarissime a Sto. Ignatio expressa. *Prior* est similitudo terreni regis

1 P. II. Sect. I. Cap. V.

subditos universos ad bellum evocantis. *Altera* est huius similitudinis ad Christum Iesum, caeli omniumque creaturarum Regem, applicatio. Vnde sequitur, tria huius exercitii puncta, quatenus ad priorem partem, seu ad nondum applicatam similitudinem, pertinent, veluti suspensa manere, neque esse plena, donec cum posteriori parte coniungantur, et compleantur in applicatione. Idipsum paene evenit in exercitio de duobus vexillis, ut inspicienti patebit. Quamvis autem ita disposuit Btus. Pater, ut, quin esset longior, rebus in hoc exercitio conferendis uberius lumen affunderet; hoc tamen non impedit, quominus Instructores, qui copiose rem explicare debent, ad huius exercitii puncta efficacius proponenda, applicata ea et plena, ut fieri solet, explanent.

Secvndvm est, quaeri hic posse, quam ob causam Christus eiusque Mater beatissima eam mentem Ignatio suggesserint, ut substantiam huius exercitii de Christi imitatione, quem exhibere potuerat tamquam Magistrum, Pastorem, Medicum, non alia ratione proponeret, quam per similitudinem magni Regis, universos subditos ad bellum evocantis. Cuius rei causae tres excogitari possunt. *Prima* est, quia in Sacris Scripturis Christus, ut ad eius imitationem ac sequelam alliciamur, proponitur saepe saepius tamquam Rex universorum hominum: ita enim inducitur in Ps. II. 6 alloquens: «Ego autem constitutus sum Rex ab eo,» nempe aeterno Patre. *Secunda* est, quia haec similitudo magnifica est, Christo gloriosissima, et ad animos excitandos magnopere efficax. *Tertia* est, quia, ut saepe diximus, Christus eiusque Mater beatissima suaviter se ad Ignatii ingenium atque institutionem accommo-

dabant; qui quidem et stirpe nobilissimus, et in aula regia nutritus, et magna vitae parte in armis versatus, mirifice procul dubio militari hoc spectaculo rapiebatur.

Tertivm est, pertinere hoc exercitium ad eorum numerum, quae ab aliquibus vocantur *maxima*, solentque haec quinque recenseri: primum, de fine hominis; secundum, de peccato mortali, spectata eius malitia quatenus infinitae Dei bonitati adversatur; tertium, de Regno Christi; quartum, de duobus vexillis; quintum, contemplatio ad amorem obtinendum. Ab aliis plura numerantur.

Neque solum inter maxima recensetur, verum etiam inter ipsa magnopere eminet: primo, quia rationem habet principii ac fundamenti; secundo, quia agit de imitatione Christi, qui tum ob personae dignitatem, tum ob munia, ad quae obeunda, venit in mundum, exemplar est omnis virtutis ac perfectionis cunctis necessarium. Quare hoc exercitium speciali cura, nec non et copia, ab Instructoribus proponendum est.

CAPVT III

NONNVLLA IN EODEM EXERCITIO SPECIATIM NOTANDA

Ad textum huius exercitii plenius intelligendum, octo notatu digna explicabimus.

Primvm est, proponere S. Ignatium in loci compositione «synagogas, oppida et castella, per quae Christus Dominus noster praedicabat:» ut nempe significet, homines universos, iuxta rationem proprii status, eiusque adiunctorum, vocari a Christo Domino ad sui imitationem, adeoque ad perfectionem; ipsumque Chri-

stum sua gratia ad id invitare; alioquin, nemo ad eum veniret. Praeter hanc vero gravissimam causam, alia afferri potest huius compositionis, nempe, quia Ignatius eam acriter in mente descriptam gerebat: ut enim in eius vita legitur, dum Manresae exercitiis vacabat, frequenti apparitione Christi dignatus est, eadem sese specie habituque exhibentis, qua dum vivebat, per Palestinae synagogas, oppida et castella, evangelium praedicabat.

Secvndvm pertinet ad petitionem; quae est huiusmodi: «Petere gratiam a Domino nostro, ut ne sim surdus ad eius vocationem, sed promptus ac diligens ad explendam eius sanctissimam voluntatem:» ubi excludere studet triplicem defectum, qui reperiri solet in divina vocatione audienda. *Primus* est eorum, qui mundanis illecebris valedicere non audentes, aures vocationi praebere nolunt: idque excludit vocibus illis: «ne sim surdus.» *Secundus* est eorum, qui licet surdi non fiant, variis tamen praetextibus illusi, nondum adducuntur, ut statim vocationem amplectantur; idque excludit voce illa «promptus.» *Tertius* tandem est eorum, qui etsi vocationem statim amplectuntur; non tamen exsequuntur statim; sed variis etiam praetextibus exsequutionem retardant; idque excluditur voce «diligens.»

Tertivm est, in primo similitudinis puncto proponi «Regem quemdam humanum, ab ipso Deo Domino nostro electum, cui reverentiam exhibent et obediunt,» etc., id est, ut optime vertit vulgatus, «reverentiam et obsequium praestare debent.» «Electum, ait, ab ipso Deo Domino nostro,» ut eum intelligamus dotibus omnibus, qui in humano Rege possint reperiri, ornatum;

pulchritudine, inquam, sapientia, iustitia, virtute, liberalitate, affabilitate, summaque amabilitate: electum denique non divina simpliciter Providentia; sed Providentia, speciali largitate benefica, quae per eiusmodi Regem subditos omnes omni felicitatis genere vult beare. Talem eum nobis repraesentemus oportet, ut acrius percellamur iis, quae in tertio puncto dicit Stus. Pater, exprobrans illorum nequitiam, qui tanti Regis imperium militiamque detrectaverint.

Qvartvm pertinet ad illa verba, quae in tertio puncto leguntur: «et perversus haberetur eques [1].» Neque vili sacco indutus, neque in spelunca veluti sepultus, dissimulare potest Stus. Ignatius animi generositatem, honorisque militaris sensum.

Qvintvm respicit verba illa secundae partis, seu similitudinis applicatae: «Quanto magis res est digna consideratione, videre Christum Dominum nostrum, Regem aeternum, et coram illo universum mundum.» His enim loquutionibus tanta emphasi, tantoque robore, refertis, cupit Stus. Ignatius, ut qua maxima possimus mentis, per fidem elevatae, contentione, altissime sentiamus de divina Christi persona; tum quod ipse est Rex noster, Exemplar, Magister, Redemptor, fidelium servorum in gloria caelesti Remunerator; verbo, universum Bonum nostrum; tum etiam quod infinitis titulis tenemur, ut Eum sequamur; tum denique quod morali necessitate compellimur, ne in aeternum certo pereamus, si Eum imitari recusemus. Quamobrem, hac potissimum in re conandum est Instructoribus, ut Sti.

1 Hispanice: «*Y tenido por perverso caballero.*» Consule P. Roothaan.

Ignatii menti cooperentur, excitando, quacumque possint ope, in eis, qui exercentur, amorem Christi quatenus Dei, et quatenus Hominis, ob ipsius infinitas perfectiones, et innumera collata beneficia.

Sextvm est circa illa verba, quae immediate sequuntur: «Vnumquemque [hominum] in particulari vocat, et dicit: Mea voluntas est subiicere totum mundum,» etc. Vnde patet, singulis applicandam esse huiusmodi vocationem, ut efficacius permoveantur. Praeterea considerandum est, tunc sibi Christum universos homines subiecturum, si singuli actibus suis liberis Deum glorificent, ut finem, in his terris sibi praestitutum, reapse obtineant. Totius enim mundi Christus est dominus, neque opus habet eum Patri, cuius est etiam, subiicere. Vna vero ratio, qua homines Deum liberis suis actibus glorificent, finemque obtineant, ea est, ut Christum imitentur. Vniversis enim praedestinatis, post decretam per Christum redemptionem, haec lex a divina Providentia lata est: debere omnes «Conformes fieri imaginis Filii sui [1],» scilicet, per eius imitationem.

Vbi apparet nexus inter utrumque principium ac fundamentum a Sto. Ignatio in Exercitiis positum, id est, inter exercitium de fine hominis, et hoc aliud de Regno Christi: hoc enim posteriore illud prius determinatur. Eumdem nexum inter Dominicae orationis petitiones observare licet: prima enim «Sanctificetur nomen tuum» continet finem hominis, id est, sanctificationem seu glorificationem nominis Dei, seu ipsius Dei, quatenus ad eius gloriam aliquid conferre possumus; secunda vero «Adveniat regnum tuum» continet

1 Rom. VIII. 29.

pariter finem hominis iuxta praecipuam rationem, qua Deus a nobis vult glorificari, ut nempe secum in caelis regnemus; tertia tandem «Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra» pertinet ad imitationem Christi, qui ob excellentiam atque splendorem sanctissimae suae humanitatis est princeps caelum a nobis, qui terra sumus, imitandum, ut ei in adimplenda divina voluntate ac Deo glorificando reapse assimilemur.

Septimvm est, sub finem applicatae similitudinis posuisse Stum. Ignatium oblationis formulam ab iis, qui magis affici volent, et insignes se exhibere, usurpandam: quam quidem formulam sibi a Christo eiusque Matre beatissima suggestam, postea imitatus est in votorum formula condenda, quae in Societate emittuntur, et habetur in Constit. P. V. Cap. IV. §. 2: utriusque enim idem est initium, idem spiritus; in utraque fit mentio Deiparae Virginis, per quam facienda est oblatio, ut fecit ipse Sanctus in Monte Serrato.

Nomine autem *paupertatis spiritualis* intelligit animum tolerandi paupertatem, seu paupertatem, quam vocant *affectivam: actualem* vero *paupertatem* intelligit ipsam realis paupertatis tolerantiam, seu paupertatem *effectivam*. Quae quidem terminorum distinctio applicanda pariter est opprobriis ac dolori, seu ut ipse loquitur, «iniuriis et adversitatibus omnibus.» Quamvis autem hunc ipsum affectum in aliis postea exercitiis excitandum curabit; vult tamen hic eum iam in nobis excitare: ut, quoniam et difficilis est, et gravissimi momenti, ulteriori repetitione et facilior reddatur, et altius in animo inhaereat. Hanc conditionem apponit, si actualis, exempli gratia, paupertas sit ad maiorem Dei laudem et gloriam; tum quia ex hac sola conditio-

ne redditur melior quam divitiae actuales, et vult Christus, ut in ea ipsum imitemur; tum quia, ut Ecclesiae pulchritudo ac varietas servetur, non omnes vocat ad actualem paupertatem, ad spiritualem vero omnes utique vocat.

Octavvm est, initio oblationis posuisse Stum. Ignatium verba illa «cum tuo favore et auxilio:» quum enim ipsam Christi Iesu personam proposuerit, erga quem charitatem gratitudinemque exerceremus; voluit, ut in ipsa oblatione duplici huic virtuti spem etiam in nostrum Regem adiungeremus: quam quidem refert non modo ad ineffabilia praemia, quae in caelis accepturi sumus; verum etiam ad favorem et auxilium, quibus adiuvabimur in hac vita. Ipse enim nos auxiliis gratiae corroborabit, illustrabit exemplis ac doctrina, uberioribus auxiliis in rebus adversis consolabitur, sanctissimoque suo corpore nos pascet. Quare, etiamsi in Eius sequela atque imitatione sint nobis multa perpetienda; maior tamen erit favor et collatum auxilium: qui vero imitari renuant, multa etiam, et fortasse plura, in hac vita patientur; in altera autem vel aeternas inferorum poenas sustinebunt; vel saltem piacularibus flammis diu purgabuntur. Imo ipsa conscientiae pax atque laetitia, si pro Christo patiemur, mundanas omnes voluptates longe superabit.

Animadvertant Instructores, (quamvis id non expresse dicat S. Ignatius, quia res ex se clara est), frequentiores spei actus in hac secunda hebdomada esse in eis, qui se exercent, excitandos: tum quia his actibus summopere honoratur Deus; tum quia ob ipsorum exercitiorum difficultatem et hominis naturam, hinc lucri cupidam, hinc infirmam, eius charitas iugi spei subsidio indiget.

In fine huius exercitii scribit Stus. Ignatius: «Hoc exercitium fiet bis in die:» quia enim supponit eos, qui exercentur, defatigatos in prima hebdomada; nonnullam hic requiem concedit, duasque tantum mentalis orationis horas praescribit, et omittit mediae noctis exercitium. Et haec causa assignari potest, cur hoc exercitium, ac diem, in qua faciendum est, extra seriem aliorum collocaverit: ut enim statim videbimus, primum primae diei exercitium in hac secunda hebdomoda adsignat Christi Incarnationem. Discant ex Bto. Patre Instructores prudentiam ac suavitatem. Verumtamen in dierum paucitate, quibus hodierno more peragi solent Exercitia, neque necessaria sunt huiusmodi levamenta, neque ad ea suppetit tempus.

Denique quoniam Stus. Pater bis in die hoc exercitium praescribit faciendum, aliunde vero summi momenti est; non videtur ab eius mente alienum, (quamvis ipse non dicat), si in secunda hora fiat per repetitionem.

CAPVT IV

DE LIBRORVM LECTIONE A STO. IGNATIO INDE PERMISSA

Post exercitium de Regno Christi scribit Btus. Pater: «Pro secunda hebdomada, et ita deinceps, valde prodest legere subinde [aliquid] ex libris de Imitatione Christi, vel Evangeliorum, et vitarum Sanctorum:» ubi praeter punctorum lectionem, quae supponitur quoties puncta legenda traduntur, et praeter lectionem documentorum ad rite meditandum, examinandum se, etc., si quidem haec necessaria censeantur ; docet aliorum spiritualium librorum lectionem fore perutilem.

Quamvis autem voces illae «et ita deinceps» ad solam tertiam et quartam hebdomadam referantur; non tamen prima excludi videtur, nisi fortasse quis in paranda confessione generali adeo sit occupatus, ut ad huiusmodi lectionem non suppetat tempus: quod quidem potuit esse causa, cur Stus. Pater hoc documentum in hunc locum distulerit.

Verum quo in pretio eiusmodi lectionem haberet Stus. Ignatius, patet, primo, quia quamprimum potest, eam distincte et expresse commendat, non modo pro secunda hebdomada, sed etiam pro reliquis duabus, quae subsequuntur; deinde, quia fatetur, eam valde prodesse; denique, quia illam superaddit tot aliis occupationibus exercitiorum, quorum tempore minus necessaria lectio videri poterat. Magni ergo ab iis etiam, qui exercentur, est facienda: neque solum Exercitiorum tempore, sed toto etiam vitae decursu; eique proinde locus certus assignandus est in methodo christianae vitae, quam in posterum servandam confecerint. Est enim lectio medium efficacissimum, et a Sanctis magnopere commendatum; modo legantur libri spirituales et probati; non ex curiositate, sed ex desiderio proficiendi in spiritu; neque praecipitanter, sed reflectendo in ea, quae lecta sunt, eorumque exsequutionem proponendo.

Quod autem attinet ad lectionem spiritualem tempore Exercitiorum, monita duo prae oculis habenda sunt, quae tradit Directorium. Prius est, ut libri sint «non solum boni et utiles, verum etiam apti et opportuni ad gignendum illum affectum, qui eo tempore in Exercitiis quaeritur.» (Cap. III. §. 4.) Id vero suaviter est faciendum, non ea vehementia, qua solent puncta pro-

poni; ut eruitur ex ipsis libris a Sto. Ignatio assignatis: qui omnes et suaves sunt, et tribus illis hebdomadis consentanei. Alterum est: «ne nimis legendo... defatigetur animus, et quasi vires eius exhauriantur: oportet enim semper salvam relinqui meditationem, et caetera omnia huic uni servire.» (Cap. III. §. 6.)

Pauca nunc de singulis libris a Bto. Patre propositis. Liber «De imitatione Christi,» cuius auctor fertur Thomas a Kempis, latino sermone in autographo citatur, quia quando B. Pater documentum hoc scripsit, nondum liber fuerat hispanice redditus. Documentum autem non scripsit nisi quando primum Barcinone auctorem illum legit, litterarum latinarum non omnino rudis. Quare laudatum documentum ad eorum numerum pertinet, quae Ignatius suis Exercitiis, Manresae scriptis, adiecit: adiecisse vero caelitus inspiratus credendus est, quia profecto adiectio digna fuit, quae divinitus suggereretur.

Liber Evangeliorum, inter divinos Sacrae Scripturae libros divinissimus, reverendus potius est, quam humanis verbis extollendus.

Quod ad Sanctorum vitas pertinet, aptissimam Exercitiorum tempori Bti. Ignatii vitam existimamus. Licet tamen alias legere. At, ut monet Directorium, «oportet esse selectas, et valde accommodatas ei, qui facit Exercitia; ut si esset uxoratus, oportet ei tradere vitam alicuius, qui sancte vixisset in saeculo,» etc. (Ibid. §. 2.)

Memoria digni sunt libri duo, alter «De vita Christi,» alter «De vitis Sanctorum,» in quorum lectione Christus eiusque Mater beatissima Ignatio, adhuc in castro Loiolaeo degenti, speciem aliquam Exercitiorum adum-

brasse videntur. Ignoratur posterioris auctor; imo et quinam sit ex cognitis nunc libris. Auctor vero prioris, quamvis a nonnullis tradatur Ludolphus Cartusianus, qui certe librum in folio latinum, ita inscriptum, vulgavit, eumque ego vidi; alii tamen dubitant, tum quia non constat an fuerit tunc temporis hispanice redditus, tum quia libri Ignatianorum Exercitiorum parum similis est.

Denique, quoniam a lectione scriptio non longe abest; et quoniam ipse Btus. Pater, exercitia peragens, antequam litteris exararet, intimos nonnullos sensus breviter describebat: adiiciam nunc quae de scriptione monet Directorium.» Nihil, inquit, aliud scribi debet praeter ea, quae pertinent ad orationem, nempe puncta aliqua, quae Dominus communicaverit in oratione, vel etiam extra meditationem: quae tamen brevissime notanda sunt, non diffuse per modum sermonis. Haec autem puncta possunt esse duplicis generis: vel practica, quae pertinent ad agendum, ut sunt desideria quaedam, aut firmae deliberationes faciendi aliquid; vel quae pertinent ad cognoscendum, ut sunt quaedam veritates, aut lumina circa aliquam materiam, ut alicuius virtutis..., vel etiam in aliqua materia meditationis...; eiusmodi praesertim, quae sint quasi axiomata quaedam, et viam aperiant ad bene percipiendas et meditandas illas materias.» (Cap. III. §. 5.)

Huiusmodi autem scripsisse summopere est utile: in posterum namque, breves has notas relegendo, excitari solemus ad spiritus renovationem.

CAPVT V

DE NOVA PVNCTORVM RATIONE, QVAE TRADITVR IN PRIMA CONTEMPLATIONE PRIMAE DIEI

Multa sunt iam hactenus explanata, quae in sequentibus exercitiis repetere, supervacaneum esset. Quod enim spectat ad novum huius primi exercitii praeambulum, quod vocat Stus. Pater «adducere [in mentem] historiam,» explicatum est supra Cap. II. Sect. III. secundae huius Partis. De repetitionibus diximus ibidem Cap. XII; de sensuum applicatione, ibid. Cap. XIV. Ea igitur dumtaxat attingemus, quae nondum ex dictis intelligi satis possint.

Et primo quidem, aliquandiu immorabimur in exponendis verbis illis «et tria puncta,» quae in ipsa exercitii inscriptione leguntur: oportet enim, ut bene intelligamus quid sint huiusmodi puncta. Omissis igitur punctis, in quae sensuum applicatio distribuitur, et proponi non solent, sed ad summum fortasse indicari, ut aliquo cum ordine in ea procedamus; reliqua puncta ordinaria, quae communiter proponuntur, duplicis sunt generis: alia particularia, alia communia: quam certe distinctionem didicit Btus. Ignatius a Christo eiusque Matre beatissima.

Particvlaria voco illa, quae praeter triplex illud actuum potentiarum genus, considerationem, inquam, ponderationem, motionemque affectuum, (quae tria omni puncto sunt essentialia), nullam habent communem methodum, quae diversis materiis, circa quas mentalis oratio versari possit, applicetur: eiusmodi sunt puncta primi ac secundi exercitii de peccatis, itemque exercitii de Regno Christi.

Communia vero sunt, quae praeter triplex illud actuum genus, hanc etiam communem methodum habent. Haec vero communia puncta apte accommodantur ad materiam orationis, consistentem in aliqua historia, cuius personae haec vel illa cogitant, loquuntur, hoc vel illo fine, his vel illis circumstantiis operantur, (ad has enim historias meditandas huiusmodi puncta Ignatio Christus eiusque Mater beatissima suggesserunt): ad id autem reducuntur, prout evidenter patet ex ipso ordine, quo ea Btus. Pater proponit, ut primo ipsae personae obiiciantur considerationi, ponderationi, motionique affectuum, seu, quod vocat ipse «videre personas;» secundo, ut idem fiat circa ipsarum cogitationes, seu animum, quem gerunt; licet enim cogitationum non meminerit Stus. Ignatius, at eas certe includit; tertio, circa verba, quae loquuntur; et quarto tandem, circa ipsarum opera. Numerus autem horum punctorum in sequentibus hebdomadis, ob aliquos particulares fines et personarum circumstantias, augetur. Et, ut monet Directorium (Cap. XIX), quoties historia ipsa in varias partes, quae etiam *puncta* vocantur, distribuitur, (ut fecit Stus. Pater, extra quatuor hebdomadas proponendo mysteria vitae Christi in tres fere partes distincta); tunc singula earum partium, seu praecipuorum punctorum, meditandae sunt per haec alia puncta minora, prout historia patiatur.

Infertur ex dictis, tria illa puncta, de quibus loquitur Stus. Ignatius in huius exercitii inscriptione, et quae in tota hac hebdomada ac sequentibus duabus proponet, non esse puncta particularia, sed communia. Neque tamen vetat, proponi meditationes, ut hactenus, per particularia puncta distributas; sed hanc

vel illam praxim Instructorum prudentiae committit, ut constat ex communi intelligentia et praxi: verum novam hanc punctorum rationem docere voluit. Quae quidem ratio, licet in mentali oratione minus versatis sit nonnihil difficilior, (eamque ob causam Btus. Pater eam in prima hebdomada non proposuit, ut potuerat; exempli causa, in historia peccantium Angelorum); eis vero, qui iam sunt in mentali oratione versati, facillima est, uberrima, atque utilissima; praesertim si Instructores, quantum et quando fuerit opus, puncta sufficienter explanent, prout facturos esse supponit Stus. Ignatius. Et primo quidem, *facillima* est huiusmodi ratio: nam quum nihil aliud postulet, nisi ut eventum in memoriam revocemus sine nova consideratione; animus non defatigatur: item, quoniam repetitio punctorum eodem semper ordine instituitur; habitum tandem gignit, confertque facilitatem. Deinde, est *uberrima,* tum ob varietatem obiectorum, quae proponitur, in personis, earumque cogitationibus, verbis, operibus, etc.; tum ob novum quemdam gustum, quem experimur, qui certe confert ad foecunditatem. Tandem, est *utilissima:* quia in ea quisque sibi considerationes ponderationesque excogitat, eaeque proinde magis sunt cuique propriae, atque ad affectuum excitationem efficaciores. Accedit, quod postquam quis huic methodo assuefactus sit; facile poterit historiam quamlibet, mentali orationi idoneam, quales in Sacris Scripturis et Sanctorum vitis reperiuntur, et in puncta distribuere, et uberi fructu meditari.

CAPVT VI

NONNVLLA ALIA NOTANDA IN HAC PRIMA CONTEMPLATIONE

Tria notanda supersunt in hac prima contemplatione. Primvm ad illa verba spectat, quae in loci compositione leguntur: «Similiter deinceps [videre] in particulari domum et cubiculum Dominae nostrae, in civitate Nazareth in provincia Galilaeae:» minus enim consonare videntur historicorum narrationi de sancta Lauretana Domo, quam esse eamdem illam domum constat, tum ex pluribus Pontificiis Bullis, tum ex fidelium omnium veneratione, frequentibus illustribusque miraculis confirmata. Eam enim ita describunt, ut dicant, esse palmos duos et quadraginta longam, octodecim latam, altam undeviginti, sine ulla per interiorem parietem divisione, cum ianua in uno ex lateribus, fenestra in medio alterius extremae longitudinis, et culina in alterius medio.

Respondeo, praecipuum, quod intendit Stus. Ignatius, esse locorum distinctionem, ut quiescat imaginatio, et mentali orationi faveat, nedum obsit. Quare vox «cubiculum» non divisiones significat per parietes, sed per stoream, aut aliquid simile, factas: huiusmodi enim divisiones intento fini sufficiunt. Et certe supponi debent in illa domo, humili nempe, at munda et bene ordinata: ac duplex saltem divisio tribui ei potest: altera in angulo, quo secederet Deipara Virgo ad orandum; altera beatissimo sponso Iosepho destinata: neque aliae erant superbae illius palatii aedes, cuius incolae pretiosius illud universo mundo effecerunt.

Secvndvm est de colloquio, ubi dicitur: «Cogitando

quid loqui debeam ad tres Personas divinas, vel ad Verbum aeternum incarnatum; vel ad Matrem [eius] et Dominam nostram.» Vbi docemur, colloquia, quamvis in aestu fervoris saepe sponte erumpant; aliquando tamen esse praeparanda, eo nempe fine, ut praecipuum orationis fructum, affectuum excitationem, certo consequamur.

Tertivm est, multa dici a Sto. Patre in toto hoc exercitio, iis loquutionibus, eaque simplicitate, ut eius animum tangant, qui in illis considerandis immoretur. Talis est loquutio haec plena reverentiae erga divinas Personas: «Veluti in suo solio regali, sive throno suae divinae Maiestatis:» item, illud, quod repetit, ante Christi adventum universos paene homines «descendere ad infernum,» atque in aeternum damnari. Eo tandem deveniebat, culpa profecto sua, gloria tot locupletum nationum, cultarum, sapientibus viris plenarum, bellicosarum, armorum fragore reliquos populos subigentium: eo etiam gloria tot hominum, quorum prudentiam ac res gestas multi christiani demirantur et extollunt, neque aliud loqui solent, dum Redemptoris doctrinam et exempla, sanctorumque virorum, qui eum imitati sunt, obliviscuntur, neque debito honore reverentur. Sed haec innuisse sufficiat: neque enim omnia persequi licet. Mira tandem sunt illa: «In tanta diversitate, ita in vestibus, ut in gestibus; alios albos, et alios nigros; alios in pace, et alios in bello; alios plorantes, et alios ridentes, etc.:» mira, inquam, ut acrius in oratione imaginationem excitent, et per phantasmata cognitiones, et per cognitiones ipsos affectus.

Ob hanc inimitabilem vim ac saporem, quibus ser-

mo Bti. Patris, in libro potissimum Exercitiorum, praeditus est, multi ad exercitia peragenda, exclusa omni alia explanatione, solo Ignatiano textu utuntur. Laudandi profecto hi sunt; atque in eorum gratiam haec commentaria scripsimus. Non desunt vero, qui aliqua textus explanatione indigeant, aut saltem utilitatem ex ea capiant, ut saepe diximus: estque iuxta mentem Bti. Patris, ut explanationes textus fideles eisdem tradantur.

CAPVT VII

DE RELIQVIS PRIMAE HVIVS DIEI EXERCITIIS

Nihil novi dicendum in secunda, tertia et quarta contemplatione; parum etiam de quinta, ac de quinque notis hoc loco positis. Breviter proinde ea absolvemus.

In secundo puncto contemplationis quintae leguntur haec verba: «audire auditu ea, quae loquuntur, vel loqui possunt,» ut intelligamus, in sensuum applicationibus, et quandocumque puncta, quae vocavimus *communia*, proponuntur, ad movendos affectus licere nobis colloquia aliasve actiones, (modo ea verisimilia sint), in personis confingere. In tertio autem puncto olfactus et gustus coniunguntur; quia, ut docent philosophi, alter alterum propius quidem et immediatius afficit, et prior posteriori servit; tum ut uterque se mutuo iuvet in obiectis adeo spiritualibus, et quae difficulter percipi possunt, qualia in hoc puncto proponuntur, ut sunt anima, divinitas, virtutes.

Quod ad subiectas notas pertinet, illud in primis dicendum, additam fuisse a vulgato interprete hanc

velut inscriptionem: «Notanda insuper sunt haec quinque:» cuius ratio est, quia ad quintam contemplationem, cui immediate subscribuntur, minime spectant.

In quarto notando, loquens Stus. Ignatius de commodis, quae bona caeli temperies affert, ut carere frigore, calore, et similibus; docet quaeri ea licere, «quatenus senserit (nempe qui exercetur) sibi posse prodesse et adiuvare, ad inveniendum id quod desiderat.» Et ratio est, quia ex iis, prout exteriori sensu percipiuntur, pendere possunt phantasmata, ex phantasmatis cognitiones, ex cognitionibus affectus.

Ad idipsum pertinet quod inferius addit, aliqua mysteria poenitentiam postulare, alia vero non: ad laetos enim affectus, cognitiones et phantasmata, quibus meditanda sunt mysteria, verbi causa, dominicae nativitatis, resurrectionis, etc., moderata aliqua atque honesta relaxatio certe utilis esse potest; id quod in contemplanda passione posset impedimento esse.

SECTIO VI

DE EXERCITIIS QVARTA DIE SECVNDAE HEBDOMADAE FACIENDIS

CAPVT I

DE STATVS ELECTIONE IN GENERE

Statvs nihil est aliud, quam permanens vitae ratio. Potest esse immutabilis, qualis est status matrimonii; et mutabilis, ut munus aliquod publicum.

Consideratione dignum est, Stum. Ignatium, qui breviter omnia expedire solet, summaque cum simplicitate, ideoque fere omisisse rerum tractandarum exordia, duplex in hac re exordium adhibuisse: alterum initio huius tractationis, quod ipse vocat «Praeambulum ad considerandos status;» alterum vero, ut postea videbimus, antequam agat de illo statu eligendo, ad quem a Deo vocamur. Noverat videlicet rei gravitatem, quae reapse summa est, sive divina gloria, sive profectus noster spiritualis spectetur. Si divina quidem gloria: quia quum status sit initium illud maxime praecipuum, quo determinantur omnes totius subsequentis vitae actiones, ipse vero Deus alios homines ad alios status destinaverit; status est illud, quo mundum Deus potissimum gubernat, eiusque Dominus ostenditur: ideoque valde honoratur, si in eo eligendo, ipsius voluntatem exsequamur. Si vero profectus noster spectetur: quia ob dictas causas multum quodam-

modo Bonitas Dei infinita obligatur, si videat nos iuxta divinum Eius beneplacitum statum elegisse; ac proinde uberioribus gratiae auxiliis nos adiuvabit, beatosque faciet tum in praesenti hac, tum in futura vita. E contrario autem, si pro lubito nostro statum elegerimus, nulla habita ratione sanctissimae suae voluntatis; tepescet ipse, si ita loqui fas est, in elargiendis specialibus gratiae auxiliis; nosque in gravi periculo versabimur, ne in praesenti vita ac in futura reiiciamur.

Inde verum illud ac vulgatum effatum, aeternam nostram salutem aut damnationem ex recta vel praeposterа status electione dependere. Quum enim infirmi homines, atque ad peccatum proni, simus; salus ac damnatio nostra ex speciali gratiae auxilio collato vel denegato pendet. Neque illud obstat, statum non pertinere ad divina praecepta, sed ad consilia. Id enim ad summum probat, praeposteras electiones non puniri a Deo quasi ipsae peccatum essent; verum punit eas certe tamquam culpabiles defectus. Praeterea, negare solet specialia gratiae auxilia, eo quod noluerimus in re tam gravi inquirere et eligere illum statum, qui, attentis adiunctis, ad maiorem illius gloriam conferebat, et ad quem singuli vocabamur; esto non vocaremur praecepto, sed mero consilio, (hac enim in re mera approbatio locum non habet). Sed de iis alii plura scripsere.

Vidimus iam quid praeambula ad statum eligendum ad mentem Bti. Patris significent: videamus nunc quibus documentis in ordinatam ac rectam illius electionem nos ducat, ut fructum ex iis capere possimus. Qua in re quatuor praesupponenda sunt.

Primvm est, rectam status electionem, quamvis non sit finis Exercitiorum universalis, (non enim Exercitia faciunt omnes, ut statum eligant); esse tamen eorum finem maxime praecipuum. Tantamque hac in re merentur existimationem, ut post duo saecula, quam in Ecclesiam invecta sunt, nemo sit ex innumeris, qui ad hunc finem Exercitia fideliter peregerunt, qui finem illum non fuerit assequutus. Quamplures enim per ea uberrimo lumine illustrati, statum illum elegerunt, quem antea cognoscere nequiverant; in quo summa postea cum pace vixerunt, apicemque perfectionis adepti, in album tandem Sanctorum relati sunt. Vnde praeter artificium, plane divinum, quo Exercitia concinnata sunt; censeri possunt assumpta a Deo tamquam medium a se inspiratum, cui auxilia gratiae annexuerit. Quamobrem, quibus iam tempus eligendi status advenerit, eligere ne procrastinent: displicent enim Deo huiusmodi procrastinationes in iis, quae de nobis, libere quidem cooperaturis, in re adeo gravi praestituit: utantur ergo tam praestante medio, quod in universorum utilitatem Bto. Ignatio Christus eiusque Mater beatissima tradiderunt. Neque deterreantur, si Exercitia rigorosa facere non valeant: sufficiunt enim temperata, imo et reducta, maxime si prudentem confessarium consulant.

Secvndvm est, quamvis verissima sint ea, quae de Exercitiorum efficacia ad rectam status electionem diximus; ea tamen arte ipsa Exercitia disposita esse, ut etiam iis, quibus non est eligendus status, (sive quod recte iam immutabilem statum elegerint, sive quod nondum electuri sint), universa Exercitia, tum exercitia pressius sumpta, tum etiam documenta, maximo

usui sint ad affectus illos excitandos, qui ex Exercitiis sunt hauriendi. Ratio est, quia huiusmodi documenta, praeter lumen, quod ad status reformationem afferunt, quam universis Stus. Ignatius praescribit; necessaria pariter sunt ad rectam particularium rerum electionem, quam etiam Stus. Pater edocere cupit, ut ex dicendis constabit.

Tertivm est, statum generatim sumptum dividi hic a Sto. Ignatio in statum communem et statum evangelicae perfectionis. Communis autem, (quem Sanctus vocat «primum, qui consistit in observantia mandatorum,») est quilibet status, qui non sit religionis: nempe in quo adsit quidem obligatio servandi divina atque ecclesiastica praecepta; absint autem tria vota, religiosum statum constituentia, paupertatis, castitatis et obedientiae. *Communis* autem hic status nuncupatur, quia obligatio, quam profitetur, servandi praecepta divina, omnibus christianis est communis. Status vero evangelicae perfectionis est quilibet status religionis, in quo praeter illa praecepta, servanda etiam sunt tria haec vota.

Huiusmodi explicationes esse ad mentem Bti. Patris demonstrant tum ipsius verba, tum Christi exempla, ab ipso proposita in duplici contemplatione, quam hic citat, et tertiae diei secundae huius hebdomadae adsignavit. Altera enim est de obedientia parentibus a Christo praestita, pro statu communi: obedientia enim huiusmodi praecipitur lege divina. Altera vero est de Christo invento in templo, pro statu evangelicae perfectionis; nam in hoc mysterio parentes terrenos dereliquit Christus, ut aeterno et caelesti Patri obsequeretur: quod idem Religiosi faciunt.

Qvartvm tandem est, quamvis Stus. Ignatius duplicem dumtaxat, quem diximus, statum exprimat, supponere tamen multos alios, inter se valde diversos, sub duplici illo reperiri. Sub statu quidem communi, exempli causa, reperiuntur status saecularis Sacerdotis, virginis, viduae, coniugati, etc.; sub statu autem evangelicae perfectionis, status huius vel illius Religionis ex his, quae in Ecclesia exstant; et intra eamdem Religionem, status Sacerdotis, et laici, etc. Solus vero Deus, ob supremum dominium et infinitam sapientiam, qua mundum gubernat, eiusmodi status iuxta suum beneplacitum distribuit. Homo autem illum, ad quem vocatur, amplecti debet; neque inquirere cur alium ad alium statum Deus eligat: huiusmodi enim electio respondet, ut loco nuper citato diximus, fundamentali illi antecedentique gratiarum ordinationi, pro singulis a Deo praestitutae.

Quae omnia prae oculis habens Stus. Ignatius, summa prorsus indifferentia singulos ad eligendum statum dirigit. In quo iterum ostenditur id, quod [1] dicebamus, vanam atque erroneam esse nonnullorum opinionem, existimantium Ignatiana Exercitia pertrahere ad religiosum statum amplectendum. Ea vero ad hunc statum omnino indifferentia sunt: eumque Stus. Ignatius, nonnisi semel in hoc praeambulo, nominat, et quidem nomine *evangelicae perfectionis;* neque suadet, neque laudat, quum aliunde tam laudabilis sit: votum autem paupertatis, castitatis, obedientiae silet: nullum ad religiosum statum excitat affectum. Hoc unum agit: universos ad status reformationem, aut certe electionem,

1 P. I. Sect. IX. Cap. V.

si nondum elegerint, dirigit; idque per exercitia et documenta summe generalia in rem tanti momenti inducendo, per exercitium praesertim de duobus vexillis, ut Christi ac Satanae mens dignoscatur; quid nempe de nobis, de nostro statu, de rebus particularibus uterque meditetur.

CAPVT II

DVOBVS QVAESITVS RESPONDETVR

Iam vero, quoniam ea omnia explananda suscepimus, quae in textu nonnihil contineant difficultatis, (seu verius dixerim profundidatis); in duobus nunc explicandis paulisper immorabimur. Primum est, qua de causa Btum. Iosephum, patrem Christi putativum vel existimativum nuncupari solitum, Stus. Ignatius vocet *adoptivum*. Alterum est, cur status Religionis, ut statui communi oppositus, dicatur status evangelicae perfectionis.

Ad primum respondeo, vocare *adoptivum* patrem, ut in eius honorem significet excellentem modum, quo maximus hic Sanctus, etsi non fuit Christi pater natura seu generatione; fuit tamen putativus non quomodocumque, sed ratione quadam valde singulari: teste ipsa Scriptura, ubi vocatur absolute «pater Christi;» ut patet ex Luca (II. 27, 33.) «Parentes eius,» et «Erat pater eius et mater.» Ipsaque beatissima Virgo Christo colloquens, «Ecce, inquit, pater tuus et ego, dolentes quaerebamus te.» (Ibid. 48).

Neque tamen nomen *putativum* improbat Stus. Ignatius, vulgatissimum utique, quia captu facilius. Pater enim *adoptivus*, iuxta peritos iuris, ille est, qui quum

alicuius non sit pater per generationem, affectu tamen ut filium assumit cum haereditatis iure. Quae omnia Christo respectu Iosephi competebant. Nemo enim dubitabit de paterno Iosephi erga Christum affectu: imo, censendus est huiusmodi affectus fuisse ardentissimus. Ius vero haereditatis ita explicari licet: quum enim Christus esset natura filius Mariae, legitimae uxoris Iosephi, semper castissimi, qui nullum umquam filium genuit; unionem quamdam naturalem ac legitimam habuit Christus cum Iosepho, longe sine ulla comparatione arctiorem, quam sit unio cuiuscumque civilis adoptionis; aequivalentem proinde, imo superabundantem, ad succedendum haereditario iure ad bona Iosephi universa. Quare si sceptrum regni Iudaeorum ad Iosephum, ut nonnulli interpretes opinantur, pertinebat; ex sola hac unione erat a Christo haereditandum. Quae omnia optime confirmantur testimonio Augustini, asserentis, Christum adhaessisse Iosepho «multo coniunctius, quam si esset aliunde adoptatus.» (De consensu Evangelist. Lib. II. Cap. I.)

Ad secundum respondeo, statum Religionis vocari statum evangelicae perfectionis, quia speciali quadam ratione dirigit ad perfectionem, eamque excellentissimam, qualis in Evangelio proponitur a Christo dicente [1]: «Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelis: et veni, sequere me.» Quae verba respondit Dominus adolescenti, interroganti quid ultra sibi, praeter mandatorum custodiam, esset faciendum, ut vitam aeternam consequeretur. His ergo verbis, ut Sancti Patres univer-

1 Matth. XIX. 21.

si interpretantur, vocabat eum ad quemdam statum, qui ad perfectionem dirigebat, eamque excellentissimam; hic vero status est ipse, quem Religiosi profitentur: voto enim paupertatis, omnia quodammodo vendunt et pauperibus dispertiuntur; votis autem castitatis atque obedientiae, Christum particulari quadam ratione sequuntur. Itaque statum Religionis vocat Stus. Ignatius statum evangelicae perfectionis per antonomasiam, aut quod idem est, excellenti quadam ratione: statum quidem *perfectionis*, quia ad eam speciali ratione dirigit; *evangelicae* vero, quia ad eam perfectionem dirigit, quae ob eius peculiarem excellentiam ad Evangelium specialiter pertinet.

Neque tamen ita id intelligit Btus. Ignatius, quasi solus Religionis status sit status evangelicae perfectionis. Nam communis status, quatenus est status christianus, est etiam status evangelicae perfectionis: perfectio enim christiana, sensu proprio sumpta, nequit non esse perfectio christiana, ea nempe, quam Christus in Evangelio docuit; licet consilia illa perfectiora non includat, quae status Religionis profitetur. Statum autem communem esse statum christianae perfectionis, in prima Parte, Sect. II. cap. II. demonstravimus. Vnde quemadmodum Btum. Paulum per antonomasiam vocamus *Apostolum*, quin tamen ab apostolatu excludamus Btum. Petrum, Btum. Ioannem, caeterosque Apostolos; ita pariter Stus. Ignatius vocat hic per antonomasiam statum Religionis «statum perfectionis evangelicae.»

Imo contingere optime potest, ut aliquis in statu communi iis ditetur divinae gratiae auxiliis, ut ad altiorem veniat perfectionem, quam alter in statu reli-

giosae perfectionis: ac reapse multi Sancti in altaribus coluntur, qui maiorem perfectionem in communi statu adepti sunt, quam plures, aliunde perfecti, religiosi. Item, sacerdotalis status, ratione excellentissimi, quo sacerdos fungitur, ministerii, maiorem exigit perfectionem, quam status religiosus, si sacerdotium non includat; licet media consequendae perfectionis in utroque statu valde inter se differant.

CAPVT III

DE EXERCITIO DVORVM VEXILLORVM IN GENERE

Hoc exercitium unum est ex illis, quae *maxima* vocantur, eratque Bto. Ignatio omnium carissimum, ut eruitur, tum ex ipsa peculiari concinnitate, qua scripsit, et quodammodo grandiori stilo et magnificis imaginibus vexillorum, latissimorum camporum, magnarum urbium, etc., tum ex duplici appendice, quam ei apposuit, exercitio nempe de tribus hominum classibus, et consideratione de triplici humilitatis gradu.

Merito quidem hoc exercitium plurimi fecit atque in honore habuit Btus. Pater: primo quidem, quia universis est gravissimi momenti; deinde, quia zelum animarum promovet; denique, quia speciali cura Christus eiusque Mater beatissima ea, quae hic scripta sunt, Manresae spectanda proposuere in quadam visione. Quamvis autem in hac visione instituendae Societatis formam exhibuerunt; ipsum tamen exercitium ad universos homines spectat: Christus enim est dux universorum, iuxta illud [1]: «Ecce dedi eum ducem ac praeceptorem gentibus.»

1 Isaiae. LV. 5.

Quamplura sunt in hoc exercitio notatu digna: quoniam vero breves esse volumus, praecipua dumtaxat attingèmus. Et primo quidem, tria animadvertenda censemus. Primvm est, hoc exercitium de duobus vexillis exercitio de Regno Christi valde simile esse; et utrumque, ut loquitur P. Ludovicus Palmensis, sapere rem militarem, esse plenum roboris ac virtutis: hoc tamen ab illo differt, et est efficacius; in illo enim Christi sequela, atque imitatio in bello committendo, proponitur ratione quadam generali, heic vero particulari; in illo bellum praedicitur futurum, in hoc autem indicitur praesens; in illo denique Christus sceptrum in manu tenens exhibetur Rex et Magnus in militari lege, quam promulgat; in hoc autem, explicato signo, procedit in castra, armatus more Imperatoris atque invicti Ducis. Quamobrem in hoc nos etiam, freti divina gratia, maiori animo esse oportet.

Secvndvm est, initio huius exercitii scripsisse Stum. Ignatium: «Primum praeambulum est historia:» ubi nomine historiae intelligit ipsam historiae propositionem. Nihil autem interest, non esse historica quae proponuntur, veros nempe eventus, qui reapse contigerint; sed esse parabolam, seu, ut diximus, visionem, qua Btus. Pater dignatus est: quamvis enim historia non sit; est tamen historiae valde similis, idque ad finem praeludii sufficit. Verum quidem est in exercitio de Regno Christi omissum hoc praeambulum a Sto. Ignatio fuisse; at causa omissionis fuit primo quidem, quia pauciora ibi aderant strictim proponenda; praeterea vero, quia ipsi, qui exercentur, ibi huiusmodi praeludii adhibendi industria carent.

Tertivm est, in loci compositione, quam ponit Stus.

Ignatius, non opus esse, ut campus Hierosolymitanus a Babylonico plus leucis ducentis fingatur separatus, ut reapse separatur: idemque de aliis adiunctis dicendum est. Quum enim in loci compositionibus, in quibus nihil asserimus aut negamus, nullum sit falsitatis periculum; illud generatim curandum est, ut res ita componantur, in quibus imaginatio quiescat, et ad rite habendam mentalem orationem adiuvet intellectum. Quapropter, etsi Babylonicus campus est Hierosolymitano amoenior; contrarium tamen fingere licet, ad spiritualem laetitiam, quam imitatio Christi confert, significandam. Item, in vexillo Christi confingi potest crux immensis circumdata radiis; in vexillo autem Satanae illud «poculum aureum plenum abominatione [1].»

CAPVT IV

QVO SENSV VSVRPENTVR IN HOC EXERCITIO VOCES ILLAE *SVPERBIA* ET *HVMILITAS*

Non convenit inter eos, qui Exercitia Ignatiana commentati sunt, quid veniat in hoc exercitio nomine superbiae atque humilitatis: qua in re explicanda, quum gravis momenti sit, nonnihil immorabimur.

Alii ergo strictiori sensu has voces explicant: superbiam quidem, inordinatum suimet ipsius speculativam ac practicam aestimationem; humilitatem vero iustum suimet ipsius speculativum ac practicum contemptum.

Alii autem ulterius progrediuntur; docentque, super-

1 Apoc. XVII. 5.

biam hic a Sto. Ignatio intelligi immoderatam suimet aestimationem, qua quis sibi complacet ac voluptatem quaerit contra subiectionem divinae voluntati debitam: quo sensu saepe in Scripturis superbia sumitur, v. gr. in Eccl. (X. 15) «Initium omnis peccati superbia:» si enim alio sensu accipiatur superbia, non est initium omnis peccati. Humilitatem vero dicunt, intelligi iustum suimet contemptum, quo quis sibi complacere renuit, aut voluptatem quaerere, contra subiectionem voluntati divinae debitam. Brevi, superbia significat inordinatum voluptatis amorem; humilitas autem, amorem ordinatum doloris.

Posterior haec ratio intelligendi illa Bti. Ignatii verba, est communissima. Nam in omnibus ferme libris, hactenus editis, in quibus Exercitia exponuntur iuxta Ignatianum textum, quando haec de duobus vexillis meditatio exponitur, exhibetur Lucifer tentans ipse et per suos «ad cupiditatem divitiarum, ad vanum honorem mundi, ad magnam suberbiam,» ut loquitur Stus. Ignatius, quasi tentet ad tres male ordinatos amores, qui triplicem diversum gradum proprii nostri inordinati amoris constituunt: inordinatum nempe amorem primo divitiarum, secundo honorum, tertio voluptatum: ex quo triplici inordinato amore, reliqua omnia vitia promanant. E contrario autem, Christus per se et per suos adhortans ad paupertatem, ad opprobria, ad humilitatem; ad tres oppositos amores hortatur, qui pariter constituunt triplicem ordinati amoris nostri diversum gradum, ordinatum scilicet amorem primo paupertatis, secundo opprobriorum, tertio dolorum: quo ex triplici ordinato amore virtutes omnes efflorescunt.

Suadetur praeterea haec intelligendi ratio. Quamvis enim inordinatus omnis divitiarum honorumque amor secum afferat, tamquam praecipuum finem, inordinatum amorem voluptatis, (ob solam enim voluptatem diligunt homines divitias et honores;) plures tamen existunt amores voluptatis inordinati, qui non sunt amores divitiarum et honorum; quales sunt amores delectationum, complacentiarum, et voluptatum omnino internarum. Si ergo Stus. Ignatius nomine superbiae inordinatum voluptatis amorem non significaret; non pugnaret in hoc exercitio contra omnes inordinatos amores atque affectiones; imo vero, praecipuos omitteret, nempe amores voluptatis. Id autem repugnat communi eorum sententiae, qui de Ignatianis Exercitiis scripsere. Ipsumque Stum. Patrem, a Christo eiusque Matre beatissima edoctum, habuisse ob oculis distinctionem et ordinem triplicis huius amoris, quem diximus, eruitur ex pluribus Exercitiorum locis, et ex aurea illa *De perfectione* epistola ad socios Collegii Conimbricensis; ubi divinae vocationis gratiam extollens, per eam «servatos illos, ait, fuisse, ex procellis, quas in mundi pelago concitant venti concupiscentiarum divitiarum, honorum ac voluptatum.»

Suadetur tandem ea communis intelligendi ratio, ex eo quod fatentur omnes, exercitium de duobus vexillis nihil aliud esse, quam celeberrimi illius textus Ioannei expositionem: «Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae [1].» Vbi mundus significat homines inordinate viventes; caro autem, hominem quatenus

1 1. Ioan. II. 16.

delectabilia appetit, licet ea non sint, quae turpia aut carnalia vocari solent: quae quidem utraque significatio est in Sacris Scripturis communissima. Illud autem ad rem nostram maxime facit, quod, ut explicant interpretes universi, potissimum vero Stus. Thomas (1. 2. q. 77. a. 3), carnis concupiscentia significat inordinatum amorem voluptatum; concupiscentia autem oculorum, inordinatum amorem divitiarum; superbia tandem vitae, inordinatum amorem honorum. Ergo etiam Stus. Ignatius in hoc exercitio distincte tradit inordinatum amorem voluptatum: quod quidem explicari nequit, nisi supponatur intellexisse contentum in illis verbis: «Et inde ad magnam superbiam.»

Adhaeremus igitur communi sententiae, ut semper adhaesimus, de harum vocum interpretatione: neque aliud intellexisse putamus, quod ad rei substantiam spectat, auctores illos, qui aliter loqui videntur.

Duo vero notanda hic sunt. *Prius* est, licet doctrina, quam hic scribere Ignatius iussus est a Christo eiusque Matre beatissima, et ea quam tradit Ioannes in loco nuper citato, sit una atque eadem; non esse tamen eumdem ordinem, quo ab utroque traditur. Ioannes enim primum locum, Ignatius vero postremum, inordinato voluptatum amori assignat. *Posterius* est, Ignatium non appellare proprio nomine amorem voluptatum, ut duos alios appellat, sed nomine *superbiae;* ordinatum autem amorem doloris vocare *humilitatem.*

Ad primum breviter respondeo, causam illius diversitatis in eo stare, quod Stus. Ioannes respicit inordinatos illos amores, tamquam radices deordinationum omnium, quae sunt in mundo; ideo sic orditur: «Omne, quod est id mundo:» et revera sub hoc respectu pri-

mus deordinatorum amorum est amor voluptatum, qui profecto, ut diximus, duos alios inordinatos amores includit. At Stus. Ignatius illos inordinatos amores respicit, tamquam gradus quosdam: ac sub hoc respectu primus est inordinatus amor divitiarum, ad quem nos evehit, vel potius deprimit, cacodaemon, sub praetextu necessitatis, et postea ad amorem honorum, sub praetextu decoris; ac tandem, pudore deposito, ad postremum deducit, ut nempe nihil delectabile nobis denegemus, excitando inordinatum amorem voluptatum.

Ratio alterius est, ut maiorem excitet in nobis detestationem superbiae, sumptae, ut nuper dicebamus, pro inordinata suimet ipsius aestimatione in quaerenda propria complacentia contra subiectionem divinae voluntati debitam: ut enim vidimus, huiusmodi superbia traditur in Scripturis tamquam initium omnis peccati. Item, ad commendandam humilitatem, sumptam pro iusto suimet ipsius contemptu in non quaerendo propriam complacentiam contra subiectionem Deo debitam; huiusmodi enim humilitas est initium omnis virtutis. Quam quidem humilitatem tanti aestimat Stus. Ignatius, ut hoc sensu eam intelligat in celebri illa consideratione de triplici gradu humilitatis. Et haec potuit esse altera causa qua ordinatum amorem doloris vocaret humilitatem; ut nempe ad illam considerationem iam inde nos disponeret.

CAPVT V

DE TRIPLICI VITA, CONTEMPLATIVA, ACTIVA ET MIXTA

In multis eorum exercitiorum, quae Stus. Ignatius proponit, spectari potest zelus de salute, aut de salute ac simul perfectione animarum: in exercitio autem de duobus vexillis non potest non spectari; quum hinc diabolum videamus adeo efferata rabie inhiare aeternae animarum damnationi; hinc vero Christum Dominum tanto amore sollicitum de earum salute, perfectione, aeternaque beatitudine.

At videtur Stus. Ignatius in illis verbis: «Secundum, considerare quomodo universi mundi Dominus elegit tam multas personas, etc.» restringere huiusmodi zelum quibusdam dumtaxat hominibus, a Domino electis. Verum dicendus est non restringere, sed distribuere potius iuxta statum uniuscuiusque, prout pertinet ad aliquam ex tribus illis vitis, in quas Sancti spiritualem vitam distribuunt, contemplativam nempe, activam et mixtam: existimat enim fore, ut Instructores explicent quaecumque de hac triplici vita censeant necessaria esse, iis potissimum, qui statum electuri sint. Quare obiter hic dicemus de earum natura, et ostendemus earum nullam a zelo animarum esse exemptam.

Quod igitur spectat ad earum naturam, dico in primis, vitam activam esse, fixam vivendi rationem, in qua in exterioribus actionibus potissimum occupatur homo; sive istae occupationes cedant in proprium bonum, qualis est labor et officium ad vitam decenter transigendam; sive cedat in bonum proximorum, quale est, sese exercere in operibus misericordiae, tum corporalibus, tum

etiam spiritualibus. Dixi vero *potissimum*, quia omni vitae contemplativae exercitio, ut puta, aliqua precum recitatione, profecto carere non debet. Vita autem contemplativa est, fixa vivendi ratio, in qua potissimum occupatur homo in interioribus exercitiis cognoscendi ac diligendi Dei, puta, in legendis piis libris, in orationibus vocalibus recitandis, ac praesertim in mentali oratione, sive meditando, sive contemplando; unde etiam nomen traxit, quia huiusmodi vita est specialiter idonea ad contemplationem assequendam. Dixi etiam *potissimum*, quia aliquid activae vitae habere debet, exempli causa, corpori necessaria providere. Denique vita mixta est, fixa vivendi ratio, in qua multum occupatur homo in exercitiis vitae contemplativae cum activae vitae actionibus coniungendis. Non dixi *potissimum*, sed *multum:* quia aeque occupari in ea potest homo in actibus utriusque vitae, quos coniungit. Porro huiusmodi actus esse possunt vel spiritualia misericordiae opera altiora, qualia sunt concionari, docere, etc., ideoque mixta haec vita vocari potest *excellentior;* vel aliae minoris perfectionis actiones, et tunc mixta haec vita vocari potest *minus excellens*.

Dico secundo, vitam activam et contemplativam figuratas esse in duabus illis sanctis sororibus Martha et Maria Magdalena, quae Bethaniae Christum hospitem suscepere. Martha quidem activae vitae formam expressit, unde dicitur de ea: «Martha autem satagebat circa frequens ministerium [1].» Maria vero Magdalena typum gessit vitae contemplativae: de qua [2] dicitur:

1 Luc. x. 40.
2 Ibid. v. 39.

«Maria, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.» Figuram denique vitae mixtae exhibent Apostoli, qui convocatis fidelibus, tunc temporis Hierosolymae degentibus, exponentes qualis futura esset Apostolica vita, iuxta vocationem, qua vocati fuerant: «Nos inquiunt, orationi et ministerio verbi instantes erimus [1].» Vbi considerandum est, triplex illud hominum genus Christo utique placuisse, atque ad Eius certe scholam pertinuisse; ac proinde triplicem illam vitam similiter Deo nunc placere, et ab Ipso in Ecclesia probari. Alios tamen Deus ad aliam vocat, et quisque debet in ea, ad quam vocatus est, Domino servire, ut superius de statibus dicebamus: ipsae enim huiusmodi vitae non sunt nisi status, licet magis generales; et in hoc differunt a triplici via purgativa, illuminativa, et unitiva, quod hae viae omnibus statibus sint communes.

Dico tertio, Christum Dominum, sanctissima sua in his terris vita, huius triplicis vitae exempla nobis dedisse. Venit enim in mundum ut esset non modo Redemptor, sed etiam Exemplar, quod imitari debent quicumque animae perfectionem ac salutem consequi velint; omnes quidem in omnibus rebus, quae ad universos homines spectant; in illis vero, quae ad particulares status attinent, ii qui particularem statum amplexi sunt. Vitae quidem activae exempla praebuit, dum vixit parentibus subditus, et cum iisdem laborans, ut dicitur apud Marcum (VI. 3.) «Nonne hic est faber, filius Mariae?» et apud Lucam (II.51.) «Et erat subditus illis.» Vitae vero contemplativae, quum in desertum secessit. «Et agebatur a spiritu in desertum diebus quadragin-

1 Act. VI. 4.

ta, et nihil manducavit in diebus illis [1].» Vitae denique mixtae speciali modo ; hanc enim duxit postremis vitae annis, quando ostendit se mundo, ut narratur per totam paene evangelicam historiam. Dies enim transigebat praedicando, dimittendo peccata, sanando aegrotos, omnes ad virtutem ac perfectionem adhortando; quae omnia vitae activae sunt: quod vero ad contemplativam attinet, praeter continuam, quam gerebat, ineffabilemque Dei praesentiam, «Erat pernoctans in oratione Dei [2].»

Quae omnia considerantes Sancti, itemque mixtae huic vitae finem imposuisse Christum Dominum sanctissima passione ac morte, perfectiorem ex suo genere eam esse docuerunt: infra eam posuerunt contemplativam, quam quidem ipse Dominus activae praetulit, quando, loquens de Maria Magdalena, Marthae dixit: «Maria optimam partem elegit [3]:» postremum tandem locum activae tribuerunt.

Verum enim vero, quemadmodum supra diximus, fieri posse, ut quis in statu communi, ob speciales gratias a Deo acceptas, excellentiorem perfectionem attingat, quam alius in statu Religionis, aequali utriusque cooperatione; ita de his vitis dicendum est. Illudque meminerimus, tres hasce vitas, quum sint partes spiritualis vitae, esse etiam spirituales, seu quae ad perfectionem spectant, ac proinde ab eis alienum non esse triplicem Exercitiorum finem, nempe, quadruplex affectuum genus quadruplici hebdomadae respondens, me-

1 Luc. iv. 1.
2 Ibid. vi. 12.
3 Ibid. x. 42.

thodum christianae vitae, et continuam Dei praesentiam.

Addunt praeterea Sancti, vitam activam non modo quotidianis aliquibus pietatis exercitiis esse interserendam, sed etiam identidem a contemplativa adiuvandam, nempe, certis temporibus diuturniori orationi vacando: ad id autem summopere conferunt Ignatiana Exercitia quotannis facta, per triduum aliquando se colligere, etc. Huiusmodi necessitatem significat Evangelium in petitione Marthae, Christum orantis, ut a sorore se Maria praeciperet adiuvari: «Dic ergo illi, ut me adiuvet.»

CAPVT VI

ZELVM ANIMARVM IN EXERCITIO DE DVOBVS VEXILLIS TRADI IN SINGVLIS HIS VITIS EXERCENDVM

Explicata iam triplicis vitae natura, ostendendum nunc est, earum nullam ab exercendo animarum zelo esse exemptam, qui in exercitio de duobus vexillis ab omnibus postulatur: et quidem, auctoribus ipso Christo eiusque Matre beatissima, qui huiusmodi exercitium Ignatio suggesserunt, non certe ut solus ipse animarum zelo, verum ut universi homines inflammarentur: Ignatius autem ea prudentia, quam a tantis magistris didicit, zeli flammas universis dispertivit. Nulla igitur vita a zelo exercendo eximitur; quia nulla eximitur a divina charitate, ac desiderio promovendae divinae gloriae, quae consistit profecto in omnium salute ac perfectione, teste Apostolo ad Timoth. (II. 4.) «Qui (Deus) omnes homines vult salvos fieri.» Neque ulla est vita, quae a charitate erga proximos eximatur, ac desiderio

maioris eorum spiritualis boni, itidem consistentis in ipsorum salute ac perfectione. Non solum ergo illi, qui ad mixtam vitam vocati sunt, (res enim per se patet): verum etiam illi, qui ad activam aut contemplativam, omnes animarum zelum exercere tenentur : et contrarium esset tepiditas, et in ipsis vitis defectus.

Quando igitur Stus. Ignatius dicit: «Vniversi mundi Dominus eligit tam multas personas, Apostolos, Discipulos, etc.,» loquutione illa «tam multas personas» intelligit christianos universos; omnes enim ex infidelitate erepti, electique sunt, ut essent Ecclesiae membra, et milites Christi. Confirmatur primo, ex apposito illo «tam multas,» quod certe magnam frequentiam significat; secundo, quia in vulgata versione latina post illud indefinitum nomen «Discipulos» adiecit: «Et ministros alios,» quae verba manifestum est respondere illis «tam multas personas:» omnes enim christiani, quod ad rem spectat, sunt Dei ministri; non quidem pressius, sed latiori quodam sensu, sumpti; nempe iuxta proprii status conditionem: universis enim ac singulis iubet Deus, ut sibi ministrent ac serviant, et proximorum spirituale bonum promoveant, ut dicere solebat Btus. Pater, et in Constitutionibus scriptum reliquit: «Vnicuique Deus proximi sui curam dedit [1].» Verum quidem est, nomen *Minister* speciatim ac praecipue referri ad concionatores, confessarios, aliosque ministros speciales; idque exprimit Btus. Ignatius ordine ipso, quo Apostolos primo et expresse nominat, deinde Discipulos: hoc tamen nihil aliud est, quam, ut supra diximus, zeli flammam caelesti prudentia dispertiri.

1 Exam. C. VI. §. 4.

Quaeret fortasse aliquis, quomodo zelum exercere poterunt omnes, qui vitam contemplativam amplexi sunt; qui mixtam illam minus excellentem; qui denique activam: quum eorum multi doctrina careant, neque alia instrui debeant, quam necessaria ad propriam salutem ac perfectionem obtinendam?

Stus. ipsè Ignatius aperit ad id viam doctrina quadam, huic exercitio summe consonam, qua triplex medium in Constitutionibus tradit, commune universis, qui Societati nomen dederint, etiamsi Sacerdotes futuri non sint, et omnibus litteris careant: quare etiam christianis universis utriusque sexus commune est. *Primum* est bonum exemplum proximis praebitum: «Et primo quidem, inquit, conferet bonum exemplum,» quod ipse asserit «magis quam *verba* aedificationi esse [1].» *Secundum* est oratio, qua Deo proximos commendamus, propinquiores praesertim, et in maiori necessitate constitutos: «Iuvatur etiam proximus sanctis desideriis et orationibus in Dei conspectu, etc. [2]» *Tertium* est pia ac spiritualia colloquia. «Curabunt etiam privatim proximum piis colloquiis ad meliora promovere [3].» Quae omnia profecto prudentiam postulant, ne molesti atque importuni simus: at vero, a nimia indulgentia cavendum est, quasi erubescamus christianos nos exhibere. Denique quum omnes ea scire debeamus, quae requiruntur ac sufficiunt ad salutem ac perfectionem adipiscendam, de iis cum proximo loquamur.

1 P. VII. Cap. IV. §. 2.
2 Ibid. §. 3.
3 Ibid. §. 8.

Redeamus iam ad speciales divini verbi ministros, quibus ardentiores zeli flammas tribuit Ignatius: ad eos autem potissimum redeamus, qui divini verbi praedicationi vacant, quibus exemplar proponitur in hoc exercitio a Bto. Patre Christus ipse, qui «concionem habet ad omnes suos servos et amicos.» Concionatores igitur rogamus, ut sedulo perpendant, quantum sibi munus in secundo puncto Dominus committat; et in tertio, quam doctrinam omnibus praedicare debeant: serio id examinent; rationem, quam reddituri sunt, cogitent; intelligantque, licet orationes panegyricae materiam ibi a Christo praescriptam directe explanare non debeant; indirecte saltem, et quatenus prudenter fieri possit, semper materiam illam attingendam esse. Deo autem, et Bto. Ignatio, qui suis Exercitiis artem rite concionandi nos edocet, gratias agamus universi.

CAPVT VII

DE PETITIONE TOLERANDI OPPROBRIA ET INIVRIAS QVAE SINE DEI OFFENSIONE TOLERARI POSSINT

Notatu digna sunt verba illa, quae in huius exercitii colloquio scripsit Btus. Pater: «Secundo, in tolerandis opprobriis et iniuriis, ad magis in illis eum imitandum: dummodo possim eas tolerare absque ullius peccato, et absque disgustu suae divinae Maiestatis.» Nam quum alia colloquia arbitrio eorum, qui exercentur, libera reliquerit; in hoc de duobus vexillis exercitio, roboris ac virtutis pleno, absolute praescribit, ut ad Beatissimam Deiparam colloquamur, et ascendamus per scalam illam, quam in prima hebdomada praeparaverat. Quemadmodum enim Christus est noster Impera-

tor, ita ipsa est Imperatrix nostra. Quae quidem ex ipso sui conceptu, quum noverit dignissimum esse Deum, pro quo multa perpetiamur; itemque plurima futurum Redemptorem perpessurum esse: ex illo iam temporis puncto eum plus caeteris omnibus imitari exoptavit.

Quaerat fortasse quispiam, an verba illa: «Dummodo possim eas tolerare absque ullius peccato, et [absque] disgustu suae divinae Maiestatis» hanc includant conditionem, ut si opprobria et iniurias tolerare nequeamus sine alicuius peccato aut culpabili defectu, iam non sit exoranda Sanctissima Deipara; eo quod desit tunc conditio, sub qua traditur exoranda? Equidem existimo, nullam ibi includi conditionem: raro enim contingit, ut in tolerandis opprobriis iniuriisque ab eis, qui Christi vexillum sequuntur, nullius peccatum contingat: quapropter, si allatâ verba illam conditionem continerent; oratio illa valde circumscriberetur; neque cum ea et proposito desideriisque in ipsa contentis satis parati accederemus ad toleranda, cum alterius peccato, opprobria et iniurias, quando sese obtulerit occasio, quum nihil tale postulavissemus umquam, neque optavissemus. Quae omnia certissimo sunt a Bti. Patris mente longe aliena.

Quid ergo significant illa verba? Mea quidem sententia novam orationem continent, ita ut quando illis Beatae Virgini colloquimur, hunc sensum referant: «Illud dumtaxat adiicio, teque oro, o Virgo Beatissima, ut horum opprobriorum iniuriarumque toleratio sine ullo ullius peccato culpabilive defectu mihi contingat.» Favent huic interpretationi verba illa vulgati interpretis: «Deprecando tamen culpam aliorum.» Hac igitur oratione ita explicata, duplex, isque gravissimi

momenti, affectus in nobis excitatur. *Prior* est laetitiae, qua ut Christum imitemur, ingruentia opprobria amplectimur, etiamsi ex alterius culpa proveniant; eo enim ipso quod permittit Dominus, ut nobis illa eveniant, iam ad ea toleranda nos eligit; et si internum alterius peccatum excipias, quod certe non probat ipse, neque toleramus nos; vult tamen externos illius peccati effectus, in se quidem bonos, nempe ut nos opprobria illa toleremus. *Alter* est, ut huic laetitiae intensus accedat dolor ob divinam illam offensionem: qui quidem dolor est Deo gratissimus in huiusmodi eventis; neque ei placet aliquorum in hac re indolentia, quam rectius vocaveris amoris vacuitatem, quam pacem. Idcirco ergo Stus. Ignatius novam illam orationem vult ut adiiciamus.

CAPVT VIII

DE TRIPLICI HOMINVM CLASSE

Exercitium de tribus hominum classibus, seu binariis, est prima appendix exercitio de duobus vexillis apposita; sicut consideratio de tribus humilitatis gradibus est secunda. Quamvis enim tum illud exercitium, tum haec consideratio exercitio de duobus vexillis magnum robur conferant; tamen et illud supponunt, et ab illo dependent.

Summa quidem simplicitate proponitur, ut legenti patet; at non minori prudentia. Quum enim eos, qui exercentur, defatigatos perturbatosque ex exercitio de duobus vexillis excessisse coniiciat Stus. Ignatius; proposita, ibi concepta, confirmanda curat facili suavique huius exercitii doctrina.

Praeterea, Btus. Pater, qui omnia tandem in suis Exercitiis docet, affert hic generalem quamdam loci compositionem, qua coram Deo eiusque Sanctis nos sistit, ut obiter supra tetigimus [1]. Eadem fere proponet in contemplatione ad amorem obtinendum.

Hoc denique exercitium in puncta non distribuit Btus. Pater. Cuius rei causa videtur esse, ut intelligant Instructores, aliter aliis esse proponendum, iuxta varias eorum, qui se exercent, circumstantias; et in ea puncta esse distribuendum, quae ipsis expedire videantur.

Verum praecipua huius exercitii virtus latet in illo notando, quod subsequitur; ex quo etiam potissimum robur accipit exercitium de duobus vexillis; seiunxit vero Btus. Pater notam ab ipso exercitio, et quodammodo indirecte tradidit, ut suavius redderetur exercitium.

Ea vero est huius notandi natura. Evenit enim, ut indifferentes, quantum a libero nostro arbitrio pendet, nos experiamur ad actualem paupertatem ac divitias, ad opprobria et honorem, ad dolorem et voluptatem; imo, ut ipsam etiam actualem paupertatem optemus, si ad eam nos eligat Deus; qui quidem fructus ex duobus vexillis certe capiendus est: verumtamen ex parte inclinationum, nobis non liberarum, repugnantiam ad actualem paupertatem sentimus; ideoque ex hac parte non sumus ad eam indifferentes. Tunc ergo docet Stus. Ignatius, summopere conferre ad huiusmodi non liberos affectus, seu inclinationes exstinguendas vel auferendas, ut agentes contra carnem seu concupiscen-

1 P. II. Sect. III. Cap. II.

tiam, Deum oremus, ut nos eligat ad actualem paupertatem; idque petamus in colloquiis, in quibus certe animum coram Deo maxime effundimus: et quidem absolute, nulla adiecta conditione, ut procul dubio intendit Stus. Ignatius: conditionalis enim petitio esset parum efficax remedium contra repugnantiam, quam experimur.

De hac igitur petitione duo dicemus: primum, Deo valde placere; secundum, nobis esse utilissimam. Primvm est manifestum. Deo enim valde placet, ut ea postulemus, quae prudenti iudicio absoluto conferre speciali modo censemus ad gloriam divinam, et spiritualem nostrum profectum, quin tamen opus sit ut certo id sciamus, ut superius [1] dictum est. Quum igitur tunc prudenti iudicio absoluto existimare possimus, (eo ipso quod illam repugnantiam experimur), conferre speciali modo ad divinam gloriam, nostrumque spiritualem profectum, quod ad actualem paupertatem a Deo eligamur, (eo enim ipso difficilius Deo praestabimus obsequium, nosmet ipsos vincendo); evidens est, huiusmodi petitionem Deo valde placituram esse.

Hac alia via id ipsum ostendi potest. Paupertas enim actualis, ad Christi imitationem acceptata, praeter huius imitationis meritum, illud habet, quod ad divinam gloriam, ac spiritualem nostrum profectum, valde conferat; ut loquentes de triplici humilitatis gradu inferius dicemus. Quare, quum ad fines a divina Providentia intentos expediat, ut in Ecclesia nonnulli ad actualem paupertatem eligantur; nobis licet, (neque in hoc

1 P. II. Sect. I. Cap. IX.

Deo displicebimus), suppliciter petere, ita res a se ordinari, ut in illorum numerum, ad suam maiorem gloriam, nos recenseat.

Alterum vero, quod iam exprimit Btus. Pater illis verbis «multum iuvat,» facilius ostendi potest. Illa enim repugnantia, etiamsi nobis non libera, plurimum nocere poterit: tum quia, nisi caute procedamus, impediet alacritatem in operando; tum quia est tentatio, et periculum labendi in liberam et vere deordinatam affectionem, quae vel peccatum sit, si ipsius deordinatio peccatum contineat; vel saltem culpabilis defectus, si talis fuerit illius deordinatio. Ergo utilissimum nobis est, illam repugnantiam exstinguere vel auferre, cum prudentia tamen ac debita conformitate cum divina ordinatione. Ad id autem obtinendum, quatenus a nobis pendet, nullum aliud efficaciùs medium cogitari potest, quam illa petitio; quia repugnantiae adversatur. Praeterquam quod, sperare licet, fore ut Deus, videns nos contra nosmetipsos pugnare, praemium illius petitionis omnimodam indifferentiam largiatur.

Notatu denique digna sunt illa Bti. Patris verba: «Se id velle, petere et supplicare:» qua vocum conglobatione postulare facit, «ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem.» Noverat videlicet Sanctus Pater id carni repugnare; actuum vero, quibus id ipsum petimus, repetitione atque intensione, ad illud amplectendum nos corroborari. Addit tamen, summa cum prudentia: «dummodo sit servitium et laus divinae eius Bonitatis:» huiusmodi enim affectum oportet esse praecipuum.

SECTIO VII

DE RELIQVIS SECVNDAE HEBDOMADAE EXERCITIIS AC DOCVMENTIS

CAPVT I

DE RELIQVIS SECVNDAE HEBDOMADAE EXERCITIIS

Tria hic circa exercitia, reliquis huius hebdomadae diebus assignata, breviter animadvertenda sunt. Primvm est, nullum particulare exercitium proponi ad status electionem: existimat enim Stus. Ignatius, fore, ut multi eorum, qui exercentur, de eligendo statu agant extra tempus exercitio destinatum, aut alii in alio exercitio, prout ex usu regularum quisque maius vel minus lumen ad eligendum acceperit. Ideo etiam ne nimis onerentur, unum dumtaxat novum exercitium singulis diebus assignat: idque ex summa sua prudentia. Neque tamen prohibentur Instructores, ne exercitium aliquod de hac materia proponant, ut solent non pauci: id enim aliquibus, qui electionem aut facturi aut confirmaturi sint, poterit expedire.

Secvndvm est, in primo paragrapho, qui ita incipit: «Haec contemplatio fiet semel, etc.» post verba illa «trahere [applicare] ad illam quinque sensus,» ex oblivione omisisse Stum. Ignatium interpunctionem, nempe virgulam, seu punctum cum virgula: ita enim interpungi, requirit sensus [1].

1 In exemplaribus hispanicis deest utique interpunctio,

Tertivm est, duodecim dies huic secundae hebdomadae tribui a Sto. Ignatio; qui quidem dierum numerus nulli alii hebdomadae tribuitur, sed minor. Eo autem non significat Btus. Pater, necessario esse ad dies duodecim protendendam; imo, ut vidimus, in Adnotatione quarta contrarium praevenit. Significat ergo dumtaxat multis esse longiorem, tum ob luctationes cum novo illo ac pertinaci inimico, quem hic impugnare incipimus, ut alibi dicebamus; tum quia in hac hebdomada status eligendus est ab iis, qui ad hunc finem faciunt Exercitia.

Notanda tria adiecit Stus. Ignatius. De singulis pauca dicemus. Conclusio primi est huiusmodi: «Quia hoc est [tantum] dare introductionem quamdam et modum ad postea melius et magis complete contemplandum.» Quae quidem verba significant duo: *Primum*, in mysteriis vitae Christi, post finem quatuor hebdomadarum positis, ordinem esse tradendum meditationum, quibus ipsa mysteria magis declarentur; et ad mentalem orationem in ipso Exercitiorum tempore habendam, inservire poterunt. *Secundum*, posse etiam illa Christi mysteria adhiberi ad mentalem orationem quotidianam extra tempus Exercitiorum; quae communiter haberi solet de materia pertinente ad vitam illuminativam et unitivam, ad quas etiam illa mysteria pertinent. Posteriori hoc sensu intellexit P. Ludovicus Pontanus. Is enim, quemadmodum in prima ex sex partibus, in quas suas *Meditationes* distribuit, ordinem sequitur primae hebdomadae; ita in reliquis quinque partibus

quam requirit P. Ferrusola: adest vero in versionibus latinis.

ordinem sequitur illorum mysteriorum; fateturque, sex has partes esse totidem ramos arboris vitae Ignatianorum Exercitiorum. Quapropter dicendus certe est Stus. Ignatius, divino suo libello ordinatam meditandi materiam tradidisse, non modo pro diebus, quibus Exercitiis vacamus; sed pro totius etiam anni diebus, et pro toto vitae tempore.

In secundo notando praecipit Stus. Ignatius, ut electionum discussio a contemplatione discedentis Christi ex Nazareth Iordanem versus inchoetur, non vero antea. Ratio est, quia vult, ut hanc discussionem omnino praecedat exercitium de duobus vexillis, quod praecedenti die proponitur. Quare, si haec contemplatio, ad minuendos Exercitiorum dies, praetermittatur; mens Bti. Patris ea profecto est, ut de electionibus nihil cogitetur, nisi post exercitium de duobus vexillis. Adeo necessarium ad electiones reputabat lumen, quod in hoc Exercitio accipitur, edoctus nempe a Christo eiusque Matre beatissima!

Verba illa «id est, quinta die, prout in sequentibus declaratur,» ita interpretanda sunt: «quae contemplatio ponitur in die quinta, bis facienda, bis repetenda, eique sensus applicando, prout declaratur in paragrapho immediate sequente post ipsius contemplationis titulum [1].»

Quae innuit Stus. Pater in tertio notando, explicabimus in sequenti capite, agentes de triplici gradu humilitatis.

1 Aliter interpretatur P. Roothaan, qui refert verba illa «prout in sequentibus declaratur» ad materiam electionum, non ad contemplationem.

CAPVT II

DE TRIPLICI HVMILITATIS GRADV

Diximus cap. IV. sextae Sectionis, nomine humilitatis intelligi heic iustum suimet ipsius contemptum in non complacendo sibi contra subiectionem divinae voluntati debitam. Notandum autem est, vulgatum interpretem hanc considerationem inscripsisse: «Tres gradus humilitatis:» sunt etenim; alius quidem alio excellentior. Quibus praeiactis, dico, nemimi putandum esse, valde se profecisse in via spirituali, eo quod primum attigerit humilitatis gradum: est enim id, quod minimum haberi potest in hac via; quo videlicet qui careret, extra viam erraret, aut letali peccato inquinaretur.

Circa secundum gradum dubitabit fortasse aliquis, an illis verbis: «Itemque, ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam committendi aliquod veniale peccatum,» includatur etiam, licet minus principaliter, defectus mere culpabilis, aut positiva imperfectio moralis, quam initio [1] dicebamus nomine peccati, latiore minusque rigoroso sensu, nonnumquam significari. Mea quidem sententia, includi videtur: nam ille adeo efficax affectus ad divinam gloriam, cum indifferentia ad alia omnia, quem Stus. Ignatius constituit fundamentum secundi huius gradus humilitatis, gignit profecto propositum vitandi non modo venialis peccati vel minimi, verum minimi etiam culpabilis defectus.

1 I. P. Sect. III. Cap. III.

De tertio gradu illud dicendum, in eo potissimum contineri maximam illam vim ac robur, quod exercitio de duobus vexillis addit consideratio haec de triplici gradu humilitatis. Ita aperte Btus. Pater: «Vbi aequalis fuerit laus et gloria divinae Maiestatis, ad imitandum [magis] Christum Dominum, utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere, quam divitias; opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores; et magis desidero aestimari [insipiens, inutilis] ut stultus pro Christo, qui prius habitus fuit pro tali, quam [aestimari] sapiens ac prudens in hoc mundo.» Vbi, iuxta superius [1] dicta, subintelligendus est dolor respectu voluptatis, quam omittit Stus. Ignatius: cuius nobilitas et generositas acrius opprobrio permovebatur atque ignominia, ideoque magis in eis insistit.

Obiiciat fortasse quispiam: quum Btus. Pater certo intendat, ut maior Dei gloria sit motivum volendi et eligendi paupertatem potius cum Christo paupere, quam divitias, etc., secus enim tertium hunc humilitatis gradum tot laudibus non extolleret ipse, qui divinae gloriae adeo cupidus erat; quam ob causam dicit nunc eiusmodi esse eligenda «ubi aequalis fuerit laus et gloria divinae Maiestatis?» Evanescet difficultas, si animadvertas. verba haec intelligenda esse respectu aliarum rerum atque adiunctorum; et facta hac exceptione, aut saltem praecisione, esse paupertatem eiusmodi rem, in qua actu magis Christum imitamur, eique similiores evadimus: hac enim praecisione non facta, iam ipsa paupertas ex se confert ad Dei laudem

1 Nuper Sect. VI. Cap. IV.

et gloriam multo magis quam divitiae. Hic vero sensus, praeterquam quod est in similibus loquendi modis usitatissimus, aperte aptatur fini huiusmodi humilitatis, qui non est alius, quam maior Deo subiectio ad eum magis glorificandum.

Iam, eiusmodi humilitatis excellentiam atque utilitates quis extollere valeat? Amplissimi de hac re libri perscribi possent, ut reapse nonnulli, praesertim Ignatii Patris alumni, perscripsere. Breviores nos erimus. Et primo quidem, eius perfectio, in hoc actuum genere, est maxima, ad quam in hac vita perveniri potest: unde Btus. Pater vocat eam «humilitatem perfectissimam.» Nam primo, continet Dei charitatem in ea re, in qua creaturae possunt eam magis exercere, in eo nempe, quod pro Deo pati eligant: pati enim, quemadmodum est omnium dificillimum, ita est dignissimum aestimationis. Praeterea secundo, ipsi huic patientiae addit maximum perfectionis augmentum, quod cogitari potest, nempe imitationem Christi. Neque enim possibile est, ulla alia re Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum tam glorificare, quam in eorum imitatione, quorum se nobis Exemplar praebuit divinus ille Dominus, verus Dei Filius, eiusdem naturae cum Patre ac Spiritu Sancto: quae omnia, spectata Dei excellentia, sunt apertissima. Quapropter, licet in hoc perfectionis genere inaequalitas aliqua reperiri possit, orta tum ex maiori vel minori actuum intensitate, tum ex maiori vel minori malo, quod perpeti optatur; ipsum tamen perfectionis genus est omnium in hac vita excellentissimum. Neque excellentior esset charitas Beatorum, nisi esset charitate hac viatorum intensior. At vero, illorum status non est status imitandi Christum in malorum perpessione, sed in fruitione bonorum.

Quod autem attinet ad utilitates, quas illas humilitas affert, assero, nullos dari posse actus, quibus primo magis a peccando contineamur; secundo, pro admissis magis satisfaciamus; tertio, plura mereamur, tum aeternae gloriae, tum in bonis huic vitae convenientibus; quarto, tutius caveamus pericula atque illusiones in via spirituali; quinto, facilius reddatur aliarum virtutum exercitium; sexto, magis invincibiles ac terribiles fiamus inimicis, mundo, daemoni, carni; septimo, copiosiorem pacem interioremque laetitiam experiamur. Adde singularia privilegia, quae actu patientibus pro Christo largita est divina Providentia. Quibus certe plenius fruuntur Martyres: hi enim simul ac vita decesserint, beatitatem adipiscuntur, adeo ut de illis dicatur: «Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre [1].» Magna vero ex parte privilegiis illis fruuntur alii etiam, qui pro Christo patiuntur. Accedit illud, quod docent communiter Sancti, certissimum praedestinationis signum, quod haberi in hac vita potest, illud esse, si quis multa pro Christo patiatur, licet ipse non sibi assumat, sed acceptet dumtaxat, quoscumque labores, cum voluntate eum imitandi.

Tertium hunc humilitatis gradum latius explicat Stus. Ignatius in Constitutionibus: quas quidem, licet suis discipulis scripserit; poterit tamen aliis huiusmodi explicatio prodesse. «Diligenter, inquit, animadvertant oportet, qui examinantur, (magnifaciendo summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri), quantopere iuvet ac conferat ad vitae spiritualis profectum, omnino, et non ex parte, ab-

1 Innocent. III. Cap. «Cum Martha» de celebr. Miss.

horrere ab omnibus, quae mundus amat, et amplectitur, et admittere et concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit, et amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quae mundi sunt, sequuntur, diligunt et quaerunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant et ardenter exoptant quae iis omnino contraria sunt; indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reverentia: adeo ut si sine offensione ulla divinae Maiestatis, et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, et iniurias pati, et stulti haberi et existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione), eo quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus et insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter maiorem nostrum profectum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad eius fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari et sequi, quum vera sit via, quae ducit homines ad vitam, velimus [1].»

Hactenus Stus. Ignatius. Statim vero subiungit rationem qua, divina aspirante gratia, ad intensissimum huiusmodi humilitatis habitum adquirendum poterimus pervenire; habitibus enim actuum perfectio ac perseverantia, quantum fieri potest, stabilitur. «Vt melius, ait, ad hunc perfectionis gradum in spirituali vita tam pretiosum perveniatur, eius maius ac impen-

1 Exam. Cap. IV. §. 44.

sius officium sit, quaerere in Domino maiorem sui abnegationem, et continuam in omnibus rebus, quoad fieri poterit, mortificationem [1],» agendo nimirum contra quamlibet inordinatam inclinationem. Et quo tutius id fiat, et magis Deum glorificemus in viciniori Christi imitatione, (etiamsi inclinationes nostrae inordinatae sint), abstinendo a rebus multis aliunde licitis; alias autem ideo amplectendo, non quia nostrae inclinationi consentaneae sunt, sed quia Deus vult, ut amplectamur; et ipsae ad obtinendam animae salutem conferunt. In quo patet huius doctrinae suavitas: non enim interdicit rerum delectabilium usum, si quando eis uti oporteat; sed recta intentione eis docet esse utendum.

Quum autem Btus. Pater gradus tres humilitatis proponat, non per modum exercitii, sed per modum considerationis, quod alibi numquam facit; illud obiter agemus, utrum menti Bti. Patris, iuxta hoc exemplum, consonare dicendi sint Instructores, si loco piae lectionis aut adhortationis, praeter consueta exercitia, alias etiam considerationes proponant ipso Exercitiorum tempore, eodem fine, quo hanc proposuit Stus. Ignatius; quas interdiu recogitent, et orationis tempore applicent.

Equidem existimo, cautissime hac in re procedendum esse; periculum enim est, ne ipsa exercitia aut impediant, aut graviora faciant, qui talia proponere velint. Idque non obscure evincitur ex eo, quod Stus. Pater semel dumtaxat huiusmodi considerationem adhibeat; et quidem in re gravissima, quae omnia exer-

1 Exam. Cap. IV. §. 16.

citia, exercitium de duobus vexillis subsequentia, transcendit; et quae ad eligendum statum summopere iuvat: qui quidem status fortasse extra tempus mentali orationi assignatum lumine ex hac consideratione accepto, eligetur. Idem dicendum censeo de examinibus circa varias virtutes ac vitia, deque illis, quas *reflexiones* nonnulli vocant: melius profecto esset haec omnia in ipsis exercitiis includere, ut multi Instructores solent. Quod si temperata aut contracta Exercitia tradantur, facilius poterit huiusmodi considerationibus locus esse: tunc enim abest periculum ne exercitia impediant, aut graviora efficiant.

CAPVT III

DE PRAELVDIO AD ELECTIONEM FACIENDAM

Hoc est primum ex documentis a Sto. Ignatio traditis ad electionem faciendam, (status quidem potissimum, at etiam aliarum rerum particularium:) tum enim in hac inscriptione, tum in aliis bene multis locis, loquitur quidem electionem, silet vero statum. Duas partes complectitur doctrina, sub quinque titulis contenta. Prior agit de iis, quae ante electionem scienda sunt; contineturque sub tribus primis titulis: posterior autem de duplici ratione faciendae electionis; et habetur sub duobus reliquis titulis. Quum autem aliquorum documentorum facilis admodum sit intelligentia; breviter ea absolvemus, diutius paulo in difficilioribus immoraturi.

Et primo quidem, in hoc praeludio illud est animadvertendum, omnesque hortamur, ut sedulo animadvertant, quanta cura Stus. Ignatius insistat, ut etiam in

sequentibus documentis insistet, in illo, quod nempe «oculus intentionis nostrae debet esse simplex.» Ad quam simplicitatem significandam non dicit *oculi* sed *oculus;* Christum imitatus, dicentem apud Matthaeum: «Si oculus tuus fuerit simplex,» etc. (VI. 22): ut intelligamus, in electionibus nihil aliud esse nobis intendendum, quam finem, ad quem creati fuimus, maiorem nempe Dei gloriam, animaeque salutem, cum indifferentia ad alia omnia, et cum omnimoda eorum renuntiatione, quae ab obtinendo fine nos avertant. Nulla enim facta exceptione, clamat Christus: «Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus [1].»

Quare, optime monet Directorium (Cap. XXIII), ut quamvis aliquis Exercitia suscipiat praecipuo fine eligendi status; si in exercitio de duobus vexillis, et utraque eius appendice, ad eam indifferentiam ac renuntiationem nondum devenerit; ei ratio eligendi non tradatur: nempe, probandus is ab Instructoribus non est, ut de electione deliberet, quum huiusmodi omnino necessaria dispositione careat; sed retinendus est diutius in praecedentibus exercitiis, aut aliis quibusvis, ut illam indifferentiam ac renuntiationem assequi conetur. Quam quidem si neque tunc assequatur, (quod certe ipsius culpae imputandum erit, quum facienti quod est in se Deus non degenet suam gratiam), finis exercitiis, meliori modo quo fieri poterit, imponendus erit; ille vero hortandus, ut paulatim ad illam indifferentiam ac renuntiationem se disponat, omissa electione: quam profecto neque sanam faceret, id est, vitio caren-

1 Luc. XIV. 33.

tem; neque bonam, id est, ad suum finem obtinendum aptam.

CAPVT IV

QVIBVS DE REBVS FACIENDA SIT ELECTIO

Quatuor punctis et nota una hanc materiam absolvit Stus. Ignatius. De singulis nonnulla dicemus.

Et primo quidem, docet in puncto seu parte doctrinae prima, res circa quas versatur electio, posse esse ex se indifferentes, aut bonas, aut malas. *Res* autem intelligit obiecta a liberis nostrae voluntatis actibus diversa et communiter exteriora; quae quidem per actus nostrae voluntatis liberos sunt nobis libera, ac proinde electioni subiacent, sive sint status, sive res aliae particulares. *Indifferentes* vero eas intelligit, quae non semper sunt bona, id est, non semper vult Deus, ut eas nos velimus; sed quandoque vult, quandoque non vult, qualia sunt comestio, deambulatio, etc. *Bonas* praeterea, quae semper, aut paene semper, sunt bonae: quales sunt oratio, largitio eleemosynae, etc. Denique *malas*. quae semper malae sunt, id est, quae semper divinae voluntati adversantur; ut furtum, mendacium, etc. Quibus in explicationibus semper est sermo de bonitate ac malitia rerum, non quidem physica, sed morali, et quidem obiectiva: item, supponitur debita earum rerum cognitio; secus si ignorantia invincibili malitiae ignoremus malum, iam illud nobis malum non est. Neque voces illae *ex se* aliud significant, quam specialem quamdam ipsarum rerum proportionem ad hoc, ut Deus velit, aut nolit, ut nos velimus.

Ita res intelligit Ignatius, iuxta communem Theolo-

gorum intelligentiam, quam quidem ei suggerebant, quoties opus erat, Christus eiusque Mater beatissima. Porro certum est quod docet, omnia, de quibus electionem facere velimus, debere esse aut bona, aut saltem indifferentia, non posse autem esse mala: malum enim eligi non licet: si enim obiectiva eius malitia esset peccatum, aut culpabilis defectus, talis esset eiusdem electio. E contrario autem, tum bonum, tum etiam indifferens obiectum, eligi licet: quia potest velle Deus, ut id velimus: imo, ut plus velimus, quam alia, quae sint in se absolute valde bona: quo in casu iam ipsum obiectum in se indifferens, et respective et quoad nos est melius.

Addit Btus. Pater: «Quaeque militent intra Sanctam Matrem Ecclesiam Hierarchicam:» ubi specialiter significat ipsos status: nam *militare* innuit quamdam vitae permanentiam, statibus certe, quam particularibus rebus, magis propriam. Ipso praeterea verbo illud in memoriam revocat, quod agentes de regno Christi, ac de duobus vexillis dicebamus; in omni statu esse nos Christi milites, ac si cum Rege nostro et Imperatore hic in terris in Ecclesia militante fideliter pugnemus, cum ipso in Ecclesia caelorum triumphante coronabimur. Praecipuum vero quod ibi intendit Stus. Ignatius est, hanc mentem in nobis fovere atque adaugere, ut quodcumque tandem eligamus, ab Hierarchica Ecclesia sit probatum. Hierarchicam, inquit: nempe, per Christum constitutam in Episcoporum hierarchia sub uno Pontifice Maximo: quae quidem hierarchia (id est, sacer gubernationis ordo) summam Ecclesiae confert auctoritatem.

In tertio puncto duo docet agenda ei esse, qui ali-

quid improvide, nec sine obliquis affectionibus elegerit. *Prius* est, ut facti poeniteat, veniamque a Deo precetur, quod in re tam gravi eius voluntati non fuerit obsequutus. Adeo enim benignus est Deus, ut quantumvis in eum peccaverimus, concesso poenitendi tempore, erratique cognitione, multum ei placeamus, si veniam speremus; si vero desperemus, gravius ei, quam ante acta offensione, displiceamus. *Alterum* est, ut in immutabili illo statu, quem inconsulte elegerit, bonam vivendi rationem instituat. Quamvis enim, ut ibidem Stus. Pater docet, status ille absolute non sit vocatio; tamen recta vivendi ratio in eo instituta, utique vocatio est. Etsi vero id operosius sibi videatur; non est tamen parvum Dei beneficium, qui certe benigniorem nobiscum se gerit, quam humani domini cum servis, qui sese alicui negotio imprudenter implicuerint.

Quartum punctum documentum continet, cui Ignatius firmissime adhaerebat: nempe, in recte perfectis electionibus (sive mutabilibus, sive immutabilibus) rerum ad statum pertinentium, debere quemque manere contentum, Deoque gratum; neque umquam de mutatione cogitare, nisi apertissime divina voluntas contrarium postularet. Ita expresse in Constitutionibus saepe [1]. Id speciali lumine, caelitus immisso, noverat, ad stabiliorem, suaviorem, ordinatioremque Ecclesiae gubernationem velle divinam Providentiam, ut in qua vocatione quisque primum vocatus fuerit, in hac permaneret ac perficeretur; daemonisque esse deceptionem, mutationem tentare, etiam sub maioris boni praetextu. Idem documentum saepius ab Apostolo tradi-

1 Exam. Cap. VI. §§. 5. 6. et P. V. Cap. IV. §. 5.

tur. «Vnumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet [1].» «Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat [2].»

CAPVT V

DE TRIPLICI RECTAE ELECTIONIS TEMPORE

Primi quidem temporis affert exempla Btus. Pater, non vero secundi ac tertii, quia sunt obvia. Exempla enim secundi temporis sunt quamplures rectae electiones, quas de aliquo statu faciunt nonnulli, potissimum simplices homines, aut adolescentuli; qui id experiuntur, licet vix explicare noverint, ut quoties de hoc particulari statu amplectendo cogitant, pio quodam intime recreantur solatio, quo ad omne bonum audendum corroborantur; illo autem solatio penitus destituuntur, simul ac de alio statu, licet fortasse meliori, eligendo, cogitant. Tertii vero temporis exempla cernuntur in hominibus piis, ac aetate maturis: rerum enim consideratio ac ponderatio est medium ordinarie a divina Providentia adhibitum, quae hominem ratione praeditum creavit, ut in eligendo ratione potissimum utatur. Nunc iam de singulis temporibus aliqua dicamus.

Primi quidem temporis, ut optime advertit Directorium [3], tum clara illa divinae voluntatis notitia atque illustratio, quae dubitandi libertatem menti eripit; tum vehemens illa inspiratio, quae voluntatem moraliter

1 1. Corinth. VII. 17.
2 Ibid. v. 20.
3 Cap. XXVI. §. 1.

cogit, constituunt vocationem Dei extraordinariam. Quare, raro ea accidit: neque a Deo petenda aut exspectanda est, iuxta regulam, gratiis omnibus extraordinariis communem, quam loquentes de infusa contemplatione docuimus [1]. Satis id innuit Btus. Pater nullam regulam, nullam normam pro hoc tempore tradens, ut pro reliquis tradit. Obiter dumtaxat illud attingit, ut humiliter id divinae Providentiae committentes, tamquam nobis propria habeamus duo reliqua tempora, ex eisque utilitatem capere sciamus.

Ad secundum tempus aliquo modo pertinent regulae de spirituum discretione, sub fine libri positae, quae certe huiusmodi vocationibus dignoscendis plurimum conferre possunt; ad easque referri videntur illa Sti. Patris verba: «Sumitur [percipitur] multum claritatis et cognitionis,» etc. Quare Instructores habere prae oculis eas debent, quando cernant eum, qui exercetur, in hoc secundo tempore versari; imo, si quid cum eo illarum regularum communicare expediat, communicent. Legisse etiam Directorium oportebit, ubi de electione copiose et graviter a Cap. XXII ad XXXIII agitur.

Redeo nunc ad Ignatianas regulas. Illud potissimum meminerimus, quod in quinta regula ex prioribus docemur, tempus desolationis non esse ad mutationes faciendas idoneum: quum ergo ipsa electio sit mutatio, non est illud tempus electioni aptum. Ne liceat igitur tunc ei, qui exercetur, electionem instituere; sed in quietum tempus differatur, id est, vel consolationis, vel saltem a desolatione immune; prout de tertio tempore monet Btus. Pater. Deus enim, qui nemini deest, tranquillum tempus praebebit, quando placuerit.

1 P. I. Sect. III. Cap. IV.

Electio autem, si fuerit iuxta regulas illas instituta; docente Directorio, recta absolute censeri potest. Offeratur igitur Deo, ut in tertio tempore praecipit Stus. Ignatius: sufficienti enim claritate peracta est: neque aliud ulterius divina Providentia requirit. Ideoque, si ille, qui elegit, tranquillo postea tempore ad electionem iterum examinandam carebit, ne tamen ideirco angatur: sed contentus firmusque maneat, Deoque plurimum fidat. Monet tamen Directorium, ut si tranquillum tandem tempus nactus fuerit, ad novum examen, iuxta rationes in tertio tempore praescriptas, revocet electionem.

Quaeritur autem in Directorio quid agendum esset, si quis in hoc examine iuxta tertii temporis modos, non inclinaret ad ea, ad quae iuxta secundi temporis regulas inclinat? Respondetur ibidem, si id eveniret ex causis efficacibus, certe mutandam esse electionem factam: ratio enim in homine dominari oportet, quoties contra eam non exstet revelatio aut obedientia. Si vero contingat illud ineffícacibus de causis, tunc nihil est immutandum.

Tertio denique tempore, nempe, iuxta regulas ibi traditas, facienda est electio, quando qui se exercet, secundo caret, neque ex regulis de spirituum discretione vocatio ei potest innotescere. Id expresse docet Stus. Ignatius illis verbis: «Si in primo, vel secundo tempore non fit electio, sequuntur circa hoc tertium tempus duo modi ad illam faciendam.» Semel autem factae electioni, ac Deo oblatae, firmissime standum est, iuxta documentum quod capite praecedenti diximus fuisse Bto. Ignatio speciali lumine caelitus inspiratum.

Tandem, eadem fidei certitudine, qua constat exstare in Deo providentiam; eamque in iis, quae ad finem ultimum obtinendum summopere conferunt, nemini deesse, qualis procul dubio est electio status: constat pariter, nulli hominum sufficiens ad id lumen denegari, quando opus est ut statum eligamus. Itaque illi, qui numquam adduci possunt, ut rem tanti momenti perficiant, intelligant se in culpa esse; vel quia adeo gravi negotio animum serio nunquam applicant; vel quia, ut in secundo praeludio Stus. Ignatius ait, intendunt non ipsos ad Deum venire, sed ut Deus ad ipsos veniat; vel quia proprio iudicio ducuntur, neque suis Directoribus subiici volunt, ut debent; vel quia minus in Domino eiusque Matre purissima confidunt; vel quia, ut optime dicit P. Ludovicus Palmensis, videntur tabellarium ac litteras e caelo exspectare, quibus expressis verbis edoceantur quid sibi agendum sit, ordinariis divinae Providentiae mediis non contenti. Nihil autem aliud, quam haec ordinaria media, sunt regulae a Sto. Ignatio traditae, a Christo eiusque Matre beatissima illi inspiratae. Quae quidem, ab hominibus applicatae, deficere utique possunt; at si id evenerit, supplebit abs dubio divina ipsa Providentia, praesertim si semper fiduciam nostram in ea potissimum reponamus.

CAPVT IV

DE DVPLICI MODO FACIENDAE ELECTIONIS

Prior faciendae electionis modus est exercitium quoddam, seu praxis spiritualis, quotidiano conscientiae examini generali valde similis. Quare in hoc mo-

do, non secus ac in illo examine, puncta ex ordine percurrenda sunt; maiori tamen mora, atque animi contentione, in hoc eligendi modo, ut ipsa rei longe maior gravitas postulat. Praesertim vero in quarto puncto diutius est immorandum, ut statim in quinto maiori cum lumine fiat electio, seu, ut loquitur Btus. Pater, deliberatio; illud inspiciendo, quorsum vergat ratio; non solum enim quaeritur hic actus liceitas, ne peccemus; sed etiam ipsa rei proportio, qua magis Deum glorificemus.

Legantur ac ponderentur ipsa puncta, caeteroqui perspicua; imo, et singula eorum verba; quae quidem scatent affectibus, et summe piis, et maxime efficacibus.

Alter modus faciendae electionis est complexus quidam quatuor modorum, quorum singuli pleni sunt atque efficaces: quod vel ipse Btus. Pater innuit, dicens continere in se non quatuor puncta, aut partes, sed quatuor regulas.

Quod ad praxin attinet, si status aliaeque res gravis momenti eligendae sunt, uterque modus adhibendus est, primo quidem, prior ille, qui sex puncta continet, et magis innititur rationi; deinde autem, posterior, qui quatuor regulis constat, et in quo devotionis potius impetu agimur. Si vero in rebus particularibus versetur electio, et quidem minoris momenti; satis erit uti aliqua ex quatuor regulis modi huius posterioris, praesertim prima, quae ita habetur: «Vt ille qui eligit, sentiat primum in se (nota bene haec verba), quod ille amor, quem plus aut minus habet erga rem, quam eligit, sit unice propter suum Creatorem ac Dominum.» Hic enim modus explicat, continet atque applicat id, quod in continua Dei praesentia est perfectissimum.

CAPVT VII

DE EMENDATIONE AC REFORMATIONE PROPRIAE VITAE AC STATVS

Diximus initio, per status reformationem, in secunda hebdomada instituendam, excitare Stum. Ignatium in iis, qui exercentur, curam methodi christianae vitae ab universis per tota Exercitia habendam; quae quidem methodus in hac status reformatione stabilitur. Item, in quarta hebdomada curam excitare continuae Dei presentiae gerendae, qui est fructus ex contemplatione ad obtinendum amorem hauriendus. Quoniam vero, quae de status reformatione scribit Stus. Ignatius, commodius alibi [1] explanabuntur, breviores hic erimus.

Duo nunc igitur dumtaxat attingemus. Prius est, illa verba, quae in principio leguntur: «Qui constituti sunt in praelatura vel in matrimonio,» non significare, status reformationem ad eos solos pertinere; sed in eis esse gravioris momenti; quia praelati sunt, aut patresfamilias. Neque sonant exceptionem, sed indulgentiam, ex charitate natam, illa, quae sequuntur: «Vbi non habent locum, vel valde promptam voluntatem.» Omnibus ergo reformationem exoptat; id quod in vulgati interpretis inscriptione voluit, ut clarius indicaretur; est enim huiusmodi: «De emendatione, seu reformatione circa vitae statum cuivis facienda.» Idque adeo est

1 Nempe, in meditationibus fusius expositis, ab ipso P. Ferrusola scriptis, quae nuspiam hactenus reperiri potuerunt.

verum, ut vel ipsi, qui Exercitia faciunt ad statum eligendum, eo etiam animo facere debeant, ut statum, in quo interea vivunt, reforment.

Alterum est, verbis illis, quae in fine huius documenti reperiuntur: «Cogitet enim unusquisque tantum se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus, quantum exierit [exuerit se] a proprio suo amore, [a propria] voluntate, et utilitate [commoditate propria],» intelligere Stum. Ignatium apertissime illum amorem, voluntatem, utilitatemque, quae non sit aeterna animae salus. Dico *apertissime*, quia hanc animae salutem, utpote quae supremi est momenti, saepe, et maxime in documentis ad electionem pertinentibus, in quibus maximam postulat propriae voluntatis renuntiationem, ab huiusmodi renuntiatione excluserat: semper enim in his documentis meminit quaerendae salutis, imo maioris salutis, animae; licet, ut suponitur, iuxta illam profecto gratiarum ordinationem, quam Deus singulis hominibus praestituit, ut initio dicebamus.

Causa vero cur semper salutis animae meminerit, est, quia a Christo eiusque Matre beatissima edoctus iam fuerat, quod postea Romani Pontifices expressius definiverunt: numquam, nullumque ob finem, quantumvis spiritualis videatur, licere animae saluti absolute, seu absoluto voluntatis actu, renuntiare [1]. Vt enim explicant Theologi, animae salus praeceptis ipsis innititur, quibus praecipitur spei virtus. Adeo vult Deus, ob summam nobilitatem bonitatemque suam, ut in Ipsum speremus, et ut quaeramus verum nostrum bonum,

1 Innoc. XII. Brev. «Cum alias.»

quod aliud non est, quam aeterna animae salus! Nam quodcumque aliud bonum, ut puta, sensui, etiam menti, delectabile, nisi ad animae salutem obtinendam ordinetur, aut nihil omnino est, si cum aeterna beatitudine conferatur, aut saepe saepius ad aeternam damnationem nos adducit.

SECTIO VIII

DE TERTIA ET QVARTA HEBDOMADA

CAPVT I

DE TERTIA HEBDOMADA IN GENERE

Circa huius hebdomadae inscriptionem tria nobis explicanda sunt, iuxta methodum hactenus servatam in prima ac secunda hebdomada: primo, affectus virtutum huius hebdomadae proprii, et allatas a Sto. Ignatio exercitationes esse ad eos excitandos maxime idoneas; secundo, quomodo illis potissimum insistat, qui sunt et efficaciores et aliorum fundamentum; tum qua arte affectus praecedentium hebdomadarum confirmet, evehat, perficiatque; tertio denique, nonnulla attingemus, quae gravioris esse momenti in hac hebdomada videantur.

Quod igitur ad primum spectat, affectus huius hebdomadae ad illas virtutes pertinent, quae aut directe opponuntur affectionibus, inordinatis deordinatione culpabilis dumtaxat defectus, ad mundana bona, quatenus pertinent ad non ferenda seu perpetienda gravia mala; aut certe huiusmodi oppositionem speciali quadam ratione fovent. Priores quidem, seu quae directe opponuntur, ut saepe diximus, eae sunt, quae secum afferunt detestationem inordinatarum illarum affectionum, exempli causa, dolor de iis, propositum vitandi earum actus, etc. Posteriores vero, seu quae illam op-

positionem fovent, eae sunt, quae licet hac oppositione careant, voluntatem tamen contra inordinatas ipsas affectiones summopere corroborant: eiusmodi sunt desiderium multa perpetiendi ad Christum imitandum, compassio Christi ob toleratos dolores, zelus de salute animarum, etc. Quarum quidem virtutum utrumque genus est multiplex, quia multiplex est earum motivum, et quia cum virtutibus ad alias hebdomadas pertinentibus commiscentur, et coniunguntur.

Ad eos virtutum affectus excitandos proposuit Btus. Pater in tertia hac hebdomada mysteria Christi patientis; quia earum exempla praeclarissima in passione Christus praebuit, ut praeter ea, quae initio dicebamus, facile patebit. Si enim inordinatae affectiones his virtutibus auferendae, sunt affectiones ad mundana bona, quatenus pertinent ad gravia mala devitanda; quaenam efficaciora exempla proponi contra eas poterant, quam exempla patientis Christi, qui quum esset infinite innocens, infinita tamen charitate ac laetitia graviora pro Dei gloria, animarumque salute, tormenta passus est, quam nemo hominum in hac vita possit tolerare?

Vt vero apertius pateat, qua ratione Stus. Ignatius in iis potissimum affectibus insistat, qui et efficaciores sunt, et aliorum fundamentum; simulque quomodo praecedentium hebdomadarum affectus confirmet, evehat, perficiat: animadvertendum est, in hac hebdomada, quae quidem brevissime absolvitur, duo tantum exercitia aliquantum explanata proponi: caeteris materia dumtaxat assignatur. Prius quidem est de coena Domini postrema; posterius vero, de oratione in horto. In quibus exercitiis triplex affectus petitur, nosque

petere iubemur. *Primus* est dolor de admissis peccatis, (intellige et culpabiles defectus, ad quos etiam delendos mortuus est Christus). Ita enim habetur in primi exercitii petitione: «Petere id, quod volo. Erit hic [petere] dolorem, afflictionem, et confusionem, eo quod ob mea peccata Dominus eat ad passionem.» *Secundus* est imitatio Christi in amore paupertatis, opprobriorum ac doloris. In fine enim eiusdem primi exercitii triplex illud colloquium exercitii de tribus hominum classibus repetendum proponitur, ut Christi vexillum sequi statuamus. *Tertius*, compassionis Christi patientis: unde in memorata nuper petitione peti iubemur afflictionem [1], quae idem est, quam compassio. Item in quarto puncto dicitur: «Conari [excitare me] ad dolendum, tristandum, et plangendum.» At in secundo exercitio compassio potissimum petenda praecipitur his verbis: «Petere id, quod volo, quod est proprium petere in passione, [scilicet] dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto [viribus consternato], lacrymas, poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.»

Ex quibus duo infero. Primvm, reapse Stum. Ignatium velle, ut in nobis tres illi affectus doloris, imitationis, compassionisque cieantur; et eo quidem fine, ut in hac hebdomada insistamus in illis, tamquam efficacioribus, et qui sunt aliorum fundamentum: quia revera tales sunt. Dolor enim, inde ortus, quod peccata nostra fuerint causa cur Dominus tot tormenta passus fuerit, est tenerrima et efficacissima contritio: deinde Christi patientis imitatio plus virtutis continet, quam

1 Hispanice *sentimiento*.

cogitari possit: compassio denique est fundamentum ac radix foecundissima aliorum affectuum perfectissimorum.

Secundum est, triplici hoc affectu confirmari, evehi, perfici affectus primae ac secundae hebdomadae. Doloris enim affectus dolorem de peccatis, in prima hebdomada conceptum, confirmat; imitationis vero affectus, proposita sequendi vexillum Christi, emissa in secunda hebdomada: neque solum illi affectus confirmantur, verum etiam ex proposito nobiliori motivo hic evehuntur. Denique in affectu compassionis augentur ex societate aliorum affectuum perfectissimorum, quorum quidem, ut dicebamus, compassio fundamentum est, et foecundissima radix: idque triplici de causa: primo quidem, quia compassio est amor Christi verissimus; tangitur enim tristitia ob eius tormenta; deinde, illius dolores in animo deligit, quatenus in eis intime recogitandis immoratur; denique, quia ex sua natura animum emollit. Accedit, praedictos affectus esse pariter spem in Deum, gratitudinem ob accepta beneficia, zelum de animarum salute, amoris plenam divinarum perfectionum admirationem, etc.

Quod tandem pertinet ad tertium, seu ea, quae sunt generatim in tertia hac hebdomada magis praecipua, illud potissimum existimo, censendam esse gravissimam. Brevissime quidem proponit Stus. Ignatius; at non ideo certe, quod minoris eam duxerit momenti. Supponit enim ac sperat, fore, ut qui exercentur, utpote rerum spiritualium magis periti, et in spirituali via longe progressi, eam hebdomadam producant; versentque interea exercitium de duobus vexillis cum apposita duplici appendice. Illudque omnes oblivioni ne

tradant, excellentiam atque utilitatem passionis, mortisque Christi Redemptoris meditandae seu contemplandae, et in animo alte defigendae, maiorem esse, quam ut verbis explicari valeat. Meditanda vero est, ut significat Btus. Pater, quasi pro me solo tanta perpessus fuerit; non certe quod alios excludam, sed ab illis praescindam: efficacior enim est huiusmodi meditatio. Vnde in priori petitionum, quas nuper citavimus, «ob mea peccata, ait, Dominus it ad passionem;» in altera vero: «petere... poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me:» non dicit «ob nostra,» sed «ob mea peccata;» non «pro nobis,» sed «pro me.» Id quod etiam Apostolus praedicabat et nos docebat: «Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me [1].»

CAPVT II

DE TERTIAE HEBDOMADAE CONTEMPLATIONIBVS

Puncta primi tertiae huius hebdomadae exercitii sunt, ut cuique patet, communia: eorum autem numerus augetur, aut potius ipsa magis explicantur, quam in secunda; quia tertia sublimior est, ac difficilior. Sex ista puncta reliquis mysteriis applicanda sunt; affectusque excitandi huius hebdomadae proprii, ea tamen libertate, quam antea [2] diximus. Quoniam autem hos affectus in praecedenti capite exposuimus; reliquum est nunc, ut dubiolum solvamus, quod ex textu oriri posset.

1 Gal. II. 20.
2 P. II. Sect. I. Cap. II.

Proponit enim Stus. Ignatius in fine huius exercitii colloquium: «de duobus *(sic)* binariis:» ubi mendum videtur irrepsisse; nam *tres* hominum binarios proposuerat. Confirmat hoc vulgatus interpres, scribens «de tribus classibus.» Fortasse tamen mendum non est, sed cum advertentia scriptum; ut nempe significaretur primi binarii imperfectio longe abesse a perfectione in his colloquiis requisita; itaque eum abiicit, solosque recenset tertium, utpote bene dispositum, ac secundum, quia in via est adquirendae requisitae dispositionis [1].

Secundae contemplationis facillimus est textus eis, qui praecedentium capitum doctrinam memoria teneant.

Nonnulla vero hic dicemus de novo quodam documento tradito a Bto. Patre, quando loquens de septima huius hebdomadae die, quam diem supponit ipse esse postremam, «Septima die, inquit, contemplatio totius passionis simul, in exercitio mediae noctis et aurorae.» Quibus verbis novam, cuius hactenus non meminerat, praxin docet; ut nempe praeter ordinarias repetitiones et applicationes sensuum, postquam aliquot dies aliqua meditati fuerimus exercitia, eorum in mentali oratione summarium faciamus, ut altius imprimamus in animo, et fructum inde captum stabiliamus.

Quadruplici id pacto fieri potest: primo, per ordinarias repetitiones; secundo, per applicationes sensuum; tertio, particularem aliquem affectum, eorum exercitiorum speciali ratione proprium, intendendo; ut puta

1 Pater Roothaan censet mendum utique scriptoris irrepsisse; legendum autem esse: «de duobus vexillis.»

exercitiorum de passione, de duobus vexillis; seu amorem paupertatis, opprobriorum, doloris; qui modus vocari potest, «summarium ad particularem affectum excitandum;» quarto denique, per anacephalaeosin seu recapitulationem singulorum anteactorum exercitiorum, proposita in illis concepta confirmando, Deumque eiusque Matrem purissimam orando in eis perseverantiam; et hic modus appellari potest «summarium per anacephalaeosin seu recapitulationem.»

Quum autem negari nequeat, quin utilissima sint huiusmodi summaria, qua de causa adductus fuerit Stus. Ignatius, ut ea non antea proponeret, nisi post exercitia de Christo patiente? Equidem existimo, id egisse, ut significaret eiusmodi summaria utilius institui in illis exercitiis, quorum materia sit valde similis, ut in mysteriis de Christo patiente contingit. Sufficit autem, ut exercitia quaevis, licet in simili materia non versentur, sub aliqua tamen simili ratione attingi queant, ut eiusmodi summarium institui possit. Quare utilissimum fore arbitror, omnium Ignatianorum Exercitiorum summarium, spectata in eis similitudine illa, qua gaudent, perducendi ab obtinendum triplicem illum finem ac fructum, nempe, quadruplex affectuum genus ad auferendas ex se affectiones omnes male ordinatas, methodum christianae vitae, et continuam Dei praesentiam. Huiusmodi enim recapitulatio est profecto medium aptissimum ad obtinendam perseverantiam.

CAPVT III

DE REGVLIS AD VICTVM RECTE TEMPERANDVM

De regulis ad victum recte temperandum, ea dumtaxat, quae ad textus intelligentiam conferant, enucleabimus. Duplex igitur afferri causa potest, cur Btus. Pater in tertia hac hebdomada, quae est de passione, ac proinde ad excitandum poenitentiae affectum valde opportuna; regulas tamen non poenitentiae praescribat, sed temperantiae; quales sunt eae, de quibus agimus, ut supra [1], agentes de poenitentia dicebamus.

Prior quidem est, quia timebat, ne qui exercentur imprudenti impetu abriperentur in poenitentiam; memor abs dubio poenitentiae a se susceptae, dum in tertia hac hebdomada versabatur, ac dies septem ab omni cibo et potu abstinuit, ut non modo a molestissimis, quibus angebatur, scrupulis liberaretur; sed etiam, ut verisimile videtur, Christum imitaretur, permotus illis poenis, quas eum perpetientem tunc contemplabatur. Itaque nullas in Societate ordinarias poenitentias praescripsit [2]; sperans fore, ut suis alumnis potius frena, quam stimuli, opus essent. Altera causa est, quia quarta hebdomada, ad quam illico nos introducet, non poenitentiam postulat, sed temperantiam, ut videbimus. Quare in fine tertiae hebdomadae, et in ipso vestibulo quartae, temperantiam edocet.

In his autem regulis illud animadvertatur, praecipuam esse Sti. Ignatii mentem, ut non sola voluptate

1 P. II. Sect. IV. Cap. III.
2 Exam. Cap. I. §. 6.

ducti comedamus, aut bibamus. Eiusmodi enim crassa voluptas ab spiritualibus avertit, estque, iuxta Theologos, veniale peccatum. Ad quam doctrinam Innocentius XI, anno 1679, hanc propositionem damnavit: «Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum; modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.»

CAPVT IV

DE QVARTA HEBDOMADA IN GENERE

Recolenda hic sunt quae de aliarum hebdomadarum inscriptionibus diximus; et tria, quae de singulis explicata sunt.

Quibus suppositis, quod ad primum pertinet, seu ad affectus huius hebdomadae proprios, dico eos esse, qui pertinent ad virtutes aut directe oppositas affectionibus ad bona mundana, deordinatis deordinatione culpabilis dumtaxat defectus, ob spirituales tamen praetextus; aut huiusmodi oppositionem specialiter foventes. Ad prius genus pertinet dolor de inordinatis illis affectionibus; ad alterum vero gaudium de gloria humanitatis Christi; ubi latissimus excellentissimusque aperitur campus ad charitatem et gratitudinem excitandam: multaeque hic et variae virtutes commiscentur et coniunguntur, ut diximus initio aliarum hebdomadarum. Exercitia iis virtutibus respondentia assignavit Stus. Ignatius mysteria Christi a resurrectione usque ad ascensionem, ad excitandum gaudium aptissima: quibus adiecit contemplationem ad spiritualem amorem obtinendum, ut tutius charitas et gratitudo stabilirentur.

Quod ad secundum attinet, quomodo nempe in iis affectibus insistat, qui et sunt efficaciores, et aliorum fundamentum; iam nuperrime diximus, insistere in gaudio de gloria Christi: in petitione enim exercitii, per modum exempli in hac hebdomada propositi, «Petere, inquit, id quod volo, et erit hic petere gratiam, ut laeter et gaudeam intense de tanta gloria et gaudio Christi Domini nostri.» Insistit praeterea in charitate sive amore ob beneficia nobis ab eo collata: in petitione enim contemplationis ad obtinendum amorem: «Petere, ait, id quod volo. Erit hit petere cognitionem internam tot ac tantorum bonorum [a Deo] acceptorum, ut ego integre [haec] recognoscens [vel, integro grati animi sensu], possim in omnibus amare et servire divinae suae Maiestati.» Insistit ergo in affectibus magis fundamentalibus efficacibusque, qui cogitari possint; quales nimirum sunt charitas et gratitudo, simulque gaudium de gloria Christi. Quemadmodum enim, ut superius [1] dicebamus, compassio Christi perdolentis est perfectissimorum aliorum affectuum fundamentum, ac foecundissima radix; ita etiam, et iisdem de causis, gaudium de gloria Christi, praeter charitatem et gratitudinem, efficit ut audeamus Christi vexillum sequi, cernentes quantam attulerint gloriam fortiter tolerati dolores, et ut cupiamus ipsius resurrectionem caelesti quadam vivendi ratione imitari.

Porro triplici hoc affectu omnes praecedentium hebdomadarum affectus cŏnfirmantur, evehuntur in melius, ac perficiuntur. Multiplici id pacto posset ostendi; at vel in sola charitate apertissimum est. Charitas

1 Cap. I.

enim omnium aliarum virtutum actus imperat; atque idcirco vult Stus. Ignatius, ut exerceatur, non modo in continua Dei praesentia gerenda, verum hac hebdomada etiam in mentali oratione.

Quod tertio loco proposuimus, nempe aliquid in hac hebdomada magis generale, et quod gravioris sit momenti, illud in primis occurrit, non esse brevem hanc hebdomadam, licet brevissima a Sto. Ignatio proponi videatur. Supponit enim Btus. Pater, speratque, fore, ut qui exercentur, utpote maiori iam lumine ac fervore praediti, eam producant.

Ad id autem plurimum conferet contemplatio ad amorem obtinendum, quae, praeter uberrima puncta, quibus constat, praemunitur duplici illo vere notando documento. *Prius* est, amorem ab operibus, magis quam a verbis, pendere: ubi iuxta nostrum loquendi modum in hac vita, nomen illud *opera* importat operari, et adversa pati pro amato; ita enim, et non aliter, multa propter amatum operamur. Huc pertinent proposita concepta in exercitio de duobus vexillis, cum duplici appendice adiecta. *Alterum* est, consistere amorem in mutua facultatum, rerum et operum communicatione, puta scientiae, divitiarum, honoris, et boni cuiuscumque. Vbi loquendo de amore creaturarum, ratione utentium, erga ipsarum Creatorem, nomen *communicatio* significat omnia, quae propria sunt, Deo esse restituenda, et tamquam in holocaustum offerenda, excepta semper, ut diximus, animae salute, quam quum sit finis ultimus ab ipso Deo nobis praestitutus, praecipit, ut optemus, ac totis viribus quaeramus.

Duo haec notanda in contemplatione ad amorem obtinendum, quae culmen est et corona Ignatianorum

Exercitiorum, omnibus inordinatis affectionibus larvam detrahunt, easque ex occultissimis latebris extrahunt, quantumvis spiritualis videatur praetextus, quo celari cupiant.

CAPVT V

DE QVARTAE HEBDOMADAE CONTEMPLATIONIBVS

«Prima contemplatio, dicitur in textu, quomodo Christus Dominus noster apparuit Dominae nostrae.» Quibus verbis intelligit Stus. Ignatius, id evenisse, simul ac resurrexit Christus; et fuisse primam apparitionum. Inferius enim sub hac inscriptione «De resurrectione Christi Domini nostri, de prima eius apparitione,» quando agit de mysteriis, primo loco ita refert: «Primo, apparuit Virgini Mariae; quod licet non dicatur in Scriptura, habetur pro dicto, quum dicat eum apparuisse tam multis aliis; quia Scriptura supponit nos habere intellectum, sicut scriptum est: «Adhuc et vos sine intellectu estis?» Vbi traditur regula et principium solidissimae critices in iis, quae Beatissimam Virginem respiciunt; nempe, ut certissimo teneamus multa privilegia, multaque excellentissima dona, fuisse ei reapse concessa, non opus esse ut in Sacris Scripturis expressa cernamus; sed debere sufficere, ut clare pateat eius dignitati debita fuisse: qui secus existimet, carebit non modo critica, sed etiam intellectu, iuxta Christi verba Apostolos increpantis, quod rei explicationem, aliunde patentis, postularent. «Adhuc et vos, inquit, sine intellectu estis?» [1] Quem locum adducit Btus. Pater. Cau-

1 Matth. xv. 16.

sam vero cur Evangelistae res ad Btam. Virginem pertinentes, silentio premerent, hanc afferunt Sancti Patres; quia praecipuus eorum scopus fuit, ostendere Christi divinitatem, eiusque gloriam non a Matre in se derivasse, ut putavissent nonnulli, si Matris dignitas narrata fuisset; sed dumtaxat ex aeterno Patre.

Reliqua in textu clarissima sunt. Neque ulteriori explicatione indiget contemplatio ad spiritualem amorem obtinendum; quia satis aperta est cuicumque, qui hactenus dicta in memoriam revocet: patet praeterea quantum huius quartae hebdomadae affectus evehat, aut potius perfectionem, ad quam possumus in praesenti vita pervenire.

APPENDIX

Quoniam P. Ferrusola in explicanda quarta Exercitiorum hebdomada brevior est, quam tantae rei gravitas postulare videtur; non abs re fore duxi, si appendicem apponerem, in qua distinctiorem spiritualis praetextus traderem notionem, et nonnullae de affectionibus, quartae hebdomadae propriis, dissererem.

§ I

QVID SIT PRAETEXTVS SPIRITVALIS

Definitur praetextus: apparens illa causa et velamen, quo moveri se aliquis simulat ad aliquid agendum, quum tamen alia causa moveatur. Vnde tria in praetextu elementa reperiuntur: primum, apparens illa causa, quae praetenditur seu praetexitur; secundum, vera causa motiva, quae celatur; tertium, actus, qui exercetur.

Praetextuum alii sunt spirituales, alii non spirituales. *Spirituales* sunt, quorum apparens seu simulata causa est spiritualis, id est, ad christianam perfectionem pertinens: ut si quis, ingruentem ignominiam perhorrescens, totis eam viribus devitare studeat, obtegendo veram causam, nempe ignominiae horrorem, praetextu servandae boni nominis existimationis, iuxta illud [1]: «Curam habe de bono nomine.»

Praetextus *non spiritualis* est, cuius simulata causa est

1 Eccli. XVI. 15.

quaevis alia res non spiritualis. Quali usus est S. Ignatius, qui praetextu invisendi Ducis de Naxera, paternam domum deseruisse legitur.

Spirituales praetextus iterum dividuntur in inordinatos et ordinatos. *Ordinatos* voco, quorum causa spiritualis simulatur ad aliquod moraliter bonum et omnino ordinatum opus exercendum, quod vix, aut ne vix quidem, exerceri posset, si vera causa, etiam spiritualis, patefieret. Vt si quis simulet ex misericordia velle aegrotum invisere, peccata confiteri renuentem, quum vera invisentis mens sit, eum ad poenitentiam et admissorum confessionem adducere. Verius hos praetextus dixeris pias ac sanctas industrias.

Inordinati dici possunt, quorum apparens causa simulatur ac praetexitur ad actum aliquem inordinatum eliciendum. Vt si quis aegrotus inordinatum recuperandae valetudinis desiderium velet desiderio laborandi in salutem proximorum.

Huius autem actus inordinatio potest esse materialis et formalis. *Materialis* oritur ex mera intellectus ignorantia, divinam voluntatem minime cognoscentis. Quae quidem inordinatio videtur etiam in ipsis beatis reperiri posse: per hanc enim explicant nonnulli resistentiam a Principe seu Angelo Persarum Angelo Hebraeorum factam per unum et viginti dies, prout habetur apud Dan. X. 13: ignorabat enim Princeps Persarum divinam voluntatem de Hebraeorum ad Iudaeam reditu.

Formalis est, quae ex voluntatis deordinatione procedit: ut in allato exemplo de recuperanda valetudine.

Huiusmodi spirituales praetextus formaliter inordinati possunt esse operanti noti aut ignoti. Si noti sint, se ipse decipit. Si vero ignoti, decipi dicitur ab eo, qui pretex-

tum suggerit. Aliquam igitur deceptionem semper continent.

Oritur ex dictis, praetextus de quibus in quarta hebdomada agitur, non esse eos, quos vocavimus ordinatos. Tum quia eorum usum saepenumero ipsa prudentia suadet, ut patet in sanctis viris, qui sanctas illas industrias non raro adhibent: tum quia agitur in hac hebdomada de illis praetextibus, quibus obteguntur inordinatae affectiones.

Patet praeterea, inordinatis, quos diximus, praetextibus spiritualibus, contegi posse inordinatas omnes affectiones, quae iuxta Patris Ferrusolae doctrinam, auferendae sunt in prima, in secunda, in tertia hebdomada Exercitiorum. Nam inordinatus ille actus, ad quem exserendum, spiritualis prætextus adducitur, triplicis illius generis deordinatione infici potest. Exemplis id ostendi potest, tum Iudaeorum, praetextu religionis ipsum Dei Filium morti tradentium; tum Iudae, apud Simonem Mariae Magdalenae in Iesum devotionem et liberalitatem, praetextu misericordiae in pauperes, arguentis. Illos quidem invidia, hunc autem avaritia acuebat.

§ II

DE AFFECTIONIBVS INORDINATIS QVARTAE HEBDOMADAE PROPRIIS

Quaeri tamen nunc potest, utrum affectiones in quarta hebdomada auferendae, sint eaedem ipsae ac solae, quae ad tres praecedentes hebdomadas pertinent; et quae ideo dumtaxat adscribantur quartae, quia spiritualibus praetextibus obteguntur: an vero novum quoddam inordinatarum affectionum genus exstet, quod, etiam seclusa spi-

ritualis praetextus, quo obteguntur, ratione, a triplici praecedentium affectionum genere distinguatur; ac proinde ad quartam hebdomadam proprie et per se pertinere dicendum sit.

Profecto, si hebdomadae ipsae inter se conferantur, admittendum videtur novum istud quartum inordinatarum affectionum genus. Quemadmodum enim sublatis primae hebdomadae affectionibus, supersunt adhuc aliae, quae in secunda auferendae sunt; et iis etiam sublatis, aliae remanent, quibus auferendis hebdomada tertia destinatur: ita pariter, extinctis illis, quae ad tertiam spectant, aliae superesse videntur, quae sint in hebdomada quarta auferendae.

Et re quidem vera: sicut prima hebdomada respondet viae purgativae, secunda vero ac tertia, illuminativae; ita quarta, unitivae, in qua cum Deo anima per affectum unitur. Porro unio animae cum Deo in eo consistit, quod anima propriam omnino exuat voluntatem, ac divinam ita induat, ut una sit utriusque voluntas, nempe voluntas divina, et quidem intentiva. Aliunde via seu vita unitiva est status plus minusve completae perfectionis, consistentis, ut optime docuit P. Ferrusola [1], in charitate actuali moraliter continua.

Iam vero ea est hominis conditio, dum in his terris peregrinatur, ut neque propria se natura omnino spoliare valeat; neque in eius potestate sit, collapsam naturam ad illum innocentiae statum perducere, in quo ante Adami lapsum fuerat homo constitutus. Vivit, semperque vivet (secluso Dei privilegio), proprius sui ipsius amor, et ingenita illa inclinatio tum ad quaerendum seipsum, tum

1 P. I. Sect. II. Cap. I.

ad exercendos vel ipsarum virtutum actus pro sua voluntate, praescindendo a voluntate Dei, eique saepe adversando.

Quemadmodum ergo tota ratio adscribendi viae purgativae, seu primae Exercitiorum hebdomadae, unum deordinatarum affectionum genus, est quia exsistunt in homine affectiones, quae ad peccatum (id est, ad actus voluntati Dei *praeceptivae* adversantes), inclinant; itemque ratio assignandi viae illuminativae, seu secundae ac tertiae hebdomadae, duplex illud affectionum genus, est quia exstat praeterea in homine duplex aliud affectionum genus, inclinantium ad actus voluntati Dei *consiliativae* oppositos; quae quidem affectiones ab adquisitione et exercitio christianarum virtutum, et a Christi imitatione avertunt: ita exsistentia amoris proprii, hominem virtutibus iam ornatum et Christi imitatorem inclinantis ad quaerendum seipsum, et ad usum propriae voluntatis, contra id quod exigunt consilia divina ad charitatem et cum Deo unionem spectantia, est sufficiens ratio constituendi novum affectionum deordinatarum genus, in via unitiva, seu in hebdomada quarta tollendarum.

Quis enim negaverit, inordinate acturum esse eum aegrotum, qui cognita Superioris (adeoque Dei) voluntate de adhibendo pharmaco, quod nonnisi magno pretio comparari possit, ex amore tamen paupertatis adhibere renuerit? Atqui is neque gravis mali timore ab adhibendo pharmaco deterreretur, neque ad illud respuendum adduceretur alicuius mundani boni amore; sed ipsa paupertatis honestate, (ac proinde spirituali causa seu praetextu), propriae voluntatis propriique iudicii tenacitatem obtegeret.

Hinc patet primo, cur affectiones quartae hebdomadae

sint magis abstrusae, quam aliae: aliae enim sunt veluti surculi ac rami pravae arboris; hae vero sunt veluti stirpes ac radices ipsae. Patet secundo, cur sint magis subtiles: nam in re honesta, quale est virtutum exercitium, versantur; eaque tantum deordinatione inficiuntur, quod actus virtutum a conformitate cum voluntate Dei intentiva avertant, aut cum charitatis exigentia non penitus conformantur. Patet tertio, cur spiritualibus praetextibus obtegantur. In primis enim, exsistunt etiam in homine, qui iam ad bona mundana amplectenda non allicitur ea delectatione aut utilitate, quam illa bona prae se ferunt; neque mundanorum malorum horrore ab eis tolerandis deterretur: supponitur enim inordinatas has affectiones in praecedentibus hebdomadis exuisse. Quaenam ergo alia restat via, nisi ut specie sanctitatis illudatur?

Praeterea, ipsum adquisitarum virtutum exercitium duplici cuidam illusionum generi est obnoxium. Prius oritur ex ipsa, quae exsistit inter aliquas virtutes et aliqua vitia, similitudine; ut inter prudentiam et astutiam, inter liberalitatem et prodigalitatem, inter intimiditatem et audaciam, etc., quam materiam fusius P. Palmensis in «Via Spirituali» persequitur.

Alterum sumitur ex ipsa honestate, quae in formali cuiusque virtutis obiecto splendet. Ea namque est huiusmodi honestas, qua facile adducatur homo, (praesertim si virtutem intenso gradu possideat), ad exercendos illius actus, praescindendo a voluntate Dei intentiva, eique fortasse aversando: unde illi virtutis actus, quantumvis in se honesti, si absolute spectantur; aliqua tamen deordinatione vitiabuntur ex defectu conformitatis cum intentiva Dei voluntate, aut ex oppositione ad eam. Sic vehemens profundae humilitatis aversio ab honoribus ac praelaturis,

causa esse potest, qua vir humilis aut Deo resistat, volenti eum in dignitate constituere, aut saltem cognitionem divinae voluntatis impediat, aut retardet. Is profecto non nisi ex virtutis amore, ideoque vere spirituali causa, divinae voluntati resisteret; verumtamen inordinate ageret, inordinatione saltem materiali: praetextu ergo spirituali illuderetur.

§ III

DE MEDIIS A BTO. PATRE IN QVARTA HEBDOMADA ALLATIS AD HAS INORDINATAS AFFECTIONES AVFERENDAS

Quam apta materia ad tollendas huiusmodi affectiones in quarta hebdomada proponatur, intelligitur ex eo, quod S. Ignatius totus est in allicienda anima ad Deum amore benevolentiae (ideoque amicitiae, erit enim mutuus), diligendum; et ad exuendum omnem sui-ipsius amorem.

Nam primo, in tertio primae contemplationis praeambulo iubet: «Petere gratiam, ut laeter et gaudeam intense de tanta gloria et gaudio Christi Domini nostri.» Iam vero, gaudere de bono alterius pertinet ad amorem benevolentiae.

Deinde, quintum eiusdem contemplationis punctum est: «Speculari officium consolandi [suos], quod Christus Dominus noster exercet: et comparando, quomodo solent amici amicos consolari.» Vbi proponitur Christus amicus, amici officia exercens: ad quem vero finem, nisi ut nos ipsius amici esse velimus?

Praeterea, in apparitionibus exhibetur Christus amici officia perfecte adimplens, non modo erga eos, qui semper ei fideles adhaeserunt; sed erga illos etiam, qui in passione illum deseruere; imo, erga Petrum, qui magi-

strum negaverat; erga Paulum, qui Ecclesiam Dei fuerat persequutus.

Postremo, id luculentissime patet in tota contemplatione ad amorem obtinendum: in cuius primo puncto iam ab homine, tot ac tanta divini amoris signa et officia experto, exigitur excellentissimus redamandi Dei actus, quo totum se, et omnia sua Deo, a quo accepit, restituat, ut pro sua sanctissima voluntate, tamquam de re propria, disponat. Neque ea latiori explicatione indigent, quum adeo sint aperta.

Vnde, quum efficacissimum omnium medium ad exstinguendum sui ipsius amorem, sit amor Dei; patet, exercitationes huius quartae hebdomadae aptissimas esse ad quartum illud inordinatarum affectionum genus auferendum.

Quod vero pertinet ad spirituales praetextus dignoscendos, docet P. Ferrusola, sufficere duplicem illam notam ultimae contemplationi praepositam. Accedunt regulae ad discernendos animae motus, praesertim posteriores: quarum quidem usus iam inde a secunda hebdomada necessarius esse solet; quia ibi agitur de eligendo aut reformando statu: quo sane tempore solet inimicus in angelum lucis se transfigurare.

Plura de hac re cupienti, adeundus B. Alphonsus Rodriguez, in vere aureo tractatu: «De amore ac perfectione virorum perfectorum, qui Filium Dei sequuntur atque imitantur, suas cruces baiulando, ac semetipsos ob illius amorem negando [1].» Postquam enim in Cap. I descripsit

1 Breve tratado del amor y perfeccion de los varones perfectos, seguidores é imitadores del Hijo de Dios, tomando sus cruces, y negándose á sí mismos por su amor.

huiusmodi viros eos esse, qui iam mortificati sunt, (opponens illis, qui adhuc in sui mortificatione desudant), docet, maxime eis necessariam esse prudentiae ac spiritualis discretionis virtutem, cuius ope cognoscunt ac operantur divinam voluntatem: « illa enim discretio «discernit inter vitium et virtutem,» «vitium et illusionem agnoscit, atque a se proiicit; agnoscit virtutem, et amplectitur: et quantumvis virtutis specie operiatur vitium, dignoscit discretio, non minus quam astus diabolicos.» (Cap. II.) En quos P. Ferrusola spirituales praetextus vocat.

Distinguit in Cap. III naturalem et supernaturalem discretionem. Naturalis quidem studio atque experientia addisci potest. Supernaturalis autem a solo Deo infunditur cui et quando ipsi placuerit. Relicta ergo hac supernaturali, quae humanis regulis non subiacet, transit Beatus ad proponendas regulas naturalis discretionis, quibus regi debet spiritualis vir in ratione agendi primo cum seipso; secundo, cum aliis hominibus; tertio, cum ipso Deo.

I. Erga seipsum, α in operibus corporeis ac sensuum usu (Cap. IV); β in operibus spiritualibus: ubi docet, non esse in Dei donis sistendum, sed ascendendum ad ipsum datorem (Cap. V); vitandas esse daemonis illusiones (ibid.); perpetuo illusionis timore esse vivendum (Cap. VI); ubi regulas aliquas ad discernendos spiritus (Cap. VII), et monita quaedam Christi ad quamdam animam, proponit (Cap. VIII). Docet tandem quomodo in corporis castigatione discretio adhibenda sit (Cap. IX).

II. Erga alios homines. Agit primo de modo agendi cum proximis (Cap. X); deinde cum Superioribus (Cap. XI).

III. Erga Deum. Ad ipsam discretionem revocat amorem, quo Deus a perfectis viris diligendus est. Neque id

mirum: saepe enim scribit Beatus, divinum amorem, utpote qui ignis est, non modo calefacere, sed etiam illuminare, tum ad divinas perfectiones apertius cognoscendas, tum ad dignoscenda amoris impedimenta, hinc et ipsas amoris proprii ac daemonis illusiones.

Triplicem ergo Dei amorem in viro perfecto exigit. Primus est amor «*nudus;* ut nempe anima omni ad creaturas affectione nuda sit: neque aliud, quam Deum diligat: si quid autem aliud diligat, amet propter Deum ac secundum Deum.» Secundus est, «amor *purus*, ut nempe, nihil aliud, quam divinam gloriam, quaerat.» Tertius tandem est «amor *vehemens*, qui paene utrumque ipsum Dei amorem consumat; animamque faciat unam cum Deo rem; aliis vero rebus quasi insensibilem.» (Cap. XIII).

Triplici sequenti capite (XIII, XIV, XV), singulos hos tres amores paulo fusius explicat. In capite XVI docet vehementem amorem perficere et in melius evehere tum contritionem, tum Christi Domini imitationem: quam quidem proprietatem agnoscit P. Ferrusola in quavis hebdomada (praeter primam) respectu praecedentium. Admonet tandem in postremo capite XVII, amoris vehementiam, de qua loquutus est, attenta humana mutabilite ac fragilitate, non esse rem permanentem ac diu perseverantem; sed obnoxium esse perfectum virum multis mutationibus, ita ut nunc ferveat, nunc tepescat; nunc pace fruatur, nunc inimici incursibus opprimatur ac divexetur.

SECTIO IX

DE DOCVMENTIS POST QVATVOR EXERCITIORVM HEBDOMADAS TRADITIS

CAPVT I

DE TRIPLICI ORANDI MODO

Triplex hic orandi modus, quem posuit Btus. Pater continuo post quartam hebdomadam, non sunt ipsius pars; nihil enim peculiare continent, quod ad affectus huius hebdomadae proprios pertineat. Nihil igitur sunt aliud, quam modi quidam orandi his, quos Stus. Ignatius per quatuor hebdomadas docuit, adiecti: et quidem utilissimi sunt.

Primus enim orandi modus est oratio mentalis simplex, ut initio dicebamus. Hanc quidem Btus. Pater in quatuor hebdomadis non praescribit: inde enim a primo exercitio exigitur oratio ponderativa; in repetitionibus autem ac sensuum applicationibus exercenda oratio affectiva. Vnde ipse Stus. Ignatius fatetur, hunc modum orandi «esse potius dare formam... quomodo anima... in illis (Exercitiis) proficiat,... quam dare formam et modum aliquem orandi [proprie dictum],» qui nempe habetur in ponderativa et affectiva oratione. Secundus vero modus est quidem oratio ponderativa; at eius materia sunt verba vocalis alicuius orationis; cuius quidem modi in quatuor hebdomadis numquam etiam meminit: in his enim materia orationis

semper sunt veritates aliae ab illis, quae in vocalibus precibus continentur. Tertius denique modus non est mentalis, sed vocalis oratio; ideoque a quatuor hebdomadis aliena. Hos tamen modos continuo hic post quatuor hebdomadas congessit, ut suam de oratione doctrinam compleret, ante quam ad alia gradum faceret.

Primus autem modus rudibus hominibus utilissimus est, non modo extra, verum etiam intra Exercitia: eumque expresse assignat Btus. Pater iis, qui in prima sese exercentium dispositione versantur, ut diximus [1]. Id tamen, quod ad tempus Exercitiorum pertinet, videtur intelligendum de antiqua illa consuetudine tradendi Exercitia per quindecim saltem, aut plures dies, propositis singularum quatuor hebdomadarum, praesertim vero primae, nonnullis exercitiis. Hodierna vero consuetudine faciendi Exercitia per octo dumtaxat decemve dies, quoniam ad omnia vix suppetit tempus; melius ad mentem Bti. Patris faciet, qui meditationes dumtaxat quatuor hebdomadarum proponat, ut supra dicebamus. In adhortationibus autem, quae intra Exercitia habentur, quando de methodo christianae vitae agitur, adhortandi essent qui exercentur, ut post Exercitia, imo quotidie, si fieri possit, exerceantur primo hoc orandi modo; qui certe, prout a Bto. Patre docetur, multifariam potest exerceri. Consulatur P. Ludovicus Pontanus in prima parte Meditationum.

Secundus vero modus intra Exercitia adhibendus quidem non est; quia singulis exercitiis propriam iam materia praescribitur. Extra Exercitia autem, plurimum iuvat: et multi devoti ac spirituales magno cum

1 I. P. Sect. VIII. Cap. III.

profectu in eo quotidie exercentur, Dominicam praesertim orationem meditando, aut Angelicam salutationem; quae quidem orationes sunt omnium excellentissimae.

Tertius denique orandi modus, praeter eius intrinsecum meritum, utilissimus est illis, qui in precibus recitandis animi evagationes patiuntur; eo enim attendendi habitum adquirere possunt. Vocatur a Sto. Ignatio *per mensuram* [1], quia in spatiis inter verba positis, musicam illam mensuram imitatur; quare harmonia quaedam est Deo eiusque Sanctis gratissima.

CAPVT II

DE MYSTERIIS VITAE CHRISTI

Multa de his mysteriis dici possunt, quae neque huius operis natura postulat, neque consueta brevitas permittit. Ex Ignatii discipulis non pauci in explanandis huiusmodi mysteriis desudarunt, praesertim P. Ludovicus Pontanus, adeundus profecto ab iis, qui Exercitia producere optent.

Illud hic adnotabimus, contineri sub hac inscriptione capita seu mysteria unum et quinquaginta; quorum septem et viginti prima ad secundam hebdomadam pertinent; decem, quae subsequuntur, ad tertiam; denique ad quartam quatuordecim postrema.

Singulorum capitum inscriptiones abs dubio Manresae scripsit Btus. Pater: eis enim indigebat, ut optata

1 Hispanice *por compás*, seu per mensuram, qua in re musica temporum spatia, ac soni temporibus respondentes in numerum distribuuntur.

brevitate mentali orationi materiam assignaret. Postea vero, et quidem simul ac latinae linguae peritiam assequutus est, (ut verisimile videtur), quando iam Evangelia, latino sermone scripta, intelligere potuit; adiecit, aut distinxit, aliqua Evangelistarum verba, aliis, quantum licuit, retentis: cuius rei argumentum est simplex ipse stylus, libro Exercitiorum simillimus, neque adeo politus, ut postea fuit in aliis, quae scripsit.

CAPVT III

DE REGVLIS AD MOTVS ANIMAE DISCERNENDOS

Reliqua, quae in Exercitiis reperiuntur, quinque capitibus continentur, et regulae sunt, prout a Sto. Patre nuncupatur: regulae quidem, quae sedulam considerationem, potius quam fusam explanationem postulant; hinc, quia de rebus gravissimis agunt; hinc, quia cuicumque sunt captu faciles, qui Ignatianum stylum calleat. Nonnulla tamen explicanda atque adnotanda aggredimur.

Et primo quidem, regulae ad discernendos animae motus, de quibus in hoc et in sequenti capite agendum est, eae sunt, quarum omnes peritissimos esse oporteret, iuxta illud Ioannis [1]: «Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.» Vbi, sicut et in aliis Sacrae Scripturae locis, iuxta interpretes, *spiritus* significat tum internum, quem experimur, impulsum; tum Deum ipsum, aut angelos, aut daemones, qui spiritus sunt, et internum illum impulsum

1 1. Ep. IV. 1.

producunt: quo quidem posteriori sensu loquitur Stus. Ignatius.

Porro sciendum est, quamvis discretio spirituum una sit ex novem gratiis *gratis datis*, quas recenset Paulus [1], «aliis discretio spirituum;» hoc tamen nihil prohibet, quin praeter hoc Spiritus Sancti donum extraordinarium, exstet in Ecclesia Dei ordinaria doctrina de spiritibus discernendis: eodem prorsus modo quo licet sapientia ad altissima fidei mysteria explananda, ac scientia ad solidas morales veritates explicandas, sint etiam gratiae *gratis datae*, dicente eodem Paulo ibidem: «Aliis quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, aliis autem sermo scientiae, secundum eumdem Spiritum»: id tamen non impedit quominus, praeter extraordinaria haec Sancti Spiritus dona, exstet in Ecclesia ad easdem illas res explicandas ordinaria doctrina. Quae ergo a Sto. Ignatio in his regulis edocemur, et ipse a Christo eiusque Matre beatissima didicerat, doctrinam continent gravissimi momenti, atque animarum Directoribus utilissimam.

In prima igitur regula advertimus vocem illam *synderesis* graecam esse, ac significare *observationem:* apud philosophos autem ac theologos exprimere naturae lumen, quo virtutis pulchritudinem ac vitii deformitatem dignoscit intellectus. Bonus ergo spiritus lumen hoc in sceleratorum intellectu excitat, ut vitae deformitatem animadvertant; itaque pungit eos, et mordet. Quem quidem imitari debent illi, qui cum eiusmodi hominibus versantur, maxime si apud eos auctoritate polleant. Et e converso, animos addere debent iis, quos

1 1. Cor. xii. 10.

in secunda regula dicit Btus. Pater in melius progredi: oportet enim bono spiritui cooperari, et gratiam fovere, more periti medici, studentis semper naturam adiuvare.

Nomina illa, quae in tertia regula usurpantur, *consolatio* ac *desolatio*, frequentissime occurrunt in Sacris Litteris atque in piis libris, eodem ipso sensu, quo utitur Stus. Ignatius. Sic Paulus [1]: «Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra:» et Daniel [2]: «Aperi, Deus meus, oculos tuos, et vide desolationem meam.» Quasi anima in desolatione, ut ait Btus. Pater, sola atque a suo Creatore ac Domino derelicta sit.

Documentum illud regulae quintae de nulla mutatiotione tempore desolationis facienda, traditur etiam a Spiritu Sancto, apud Ecclesiasticum dicente: «Ne festines in tempore obductionis» [3]; sed «Sustine, subiungit, sustentationes Dei: coniungere Deo, et sustine [4].» Idipsum hortatur Btus. Pater in sexta regula: «Valde iuvat intense mutare se... contra ipsam desolationem,» Deo propius adhaerendo, alacriori animo ei serviendo, maioremque in eum fiduciam excitando. Recolantur hic quae alibi [5] de desolatione diximus.

Duo notanda veniunt circa illa septimae regulae verba: «Ille, qui est in desolatione, consideret, quomodo Dominus ipsum reliquit, probationis gratia, in suis potentiis naturalibus.» Privs est, modum illum loquendi,

1 2. Cor. I. 5.
2 Dan. IX. 18.
3 Eccli. II. 2.
4 Ibid. 3.
5 P. I. Sect. VIII. Cap. III.

«tribulatione probari nos sive tentari a Deo,» saepe usurpari in Sacris Bibliis. Neque vero id intelligendum est de probatione illa, quae vocatur *inquisitionis*, quum ab aeternitate omnia Deus noverit, ac proinde videat quid simus, et quid in illo periculo faciemus; sed probatione illa, quae dicitur *iustificationis*, ad iustificandam suam Providentiam in beneficiis, quae, si recte nos geramus in tribulatione toleranda, nobis elargiri cupit: in huiusmodi enim beneficiis elargiendis vult, ut ipsa etiam iustitia intersit; quare probatione opus est. Alterum est, verba illa «in potentiis naturalibus» non excludere omne gratiae auxilium, sed adeo intensam gratiam, cuius praesentiam sentiamus: ut patet ex iis, quae subiungit: «Potest enim [resistere] cum auxilio divino, quod semper ipsi manet, licet aperte illud non sentiat.»

Postremo, universos iterum hortamur, ut singulas has regulas serio considerent, atque in memoria penitus infigant; quia praedita sunt prorsus admirabili virtute: iis enim aliquando, imo saepissime, indigebimus.

CAPVT IV

DE REGVLIS ALIIS AD PLENIOREM SPIRITVVM DISCRETIONEM VTILIBVS

In secunda harum regularum illud est animadvertendum: praeter duplicem illam rationem, qua, ut superius [1] docuimus, Deus, et sancti Angeli, ac daemones, cognitiones in nobis excitant, et per eas a volun-

1 I. P. Sect. II. Cap. III.

tate hos vel illos actus elici intendunt; solius esse Dei agere ut anima intensissimum eliciat actum voluntatis, praecedente remissa seu minus intensa cognitione. Id significant illa verba: «Sine ullo praevio sensu vel cognitione alicuius obiecti:» «sine ullo, inquit, praevio sensu,» id est, sine ulla praevia imaginatione, quae quidem est sensus proprie dictus, seu sine ullo praevio phantasmate, quod est actus sensus: et sine ulla praevia «cognitione;» non quidem excluso omni cognoscendi actu, tunc enim impossibilis esset voluntatis actus; sed sine praevia cognitione, illo intensionis gradu praedita, quae intensioni appetitionis respondeat. Id intellexisse Stum. Ignatium, demonstrant subsequentia verba: «per quod (obiectum cognitum) illa talis consolatio adveniat [animae] per eius proprios actus intellectus et voluntatis. Ergo ad actus voluntatis eliciendos, sive sint liberi, sive non sint, ut saepe non sunt actus consolationis, censet Stus. Ignatius, praerequiri semper actus intellectus.

Ex iis, quae docet Stus. Pater in regulis quarta, quinta et sexta, apparet quot sint, et quam subtiles ac periculosi daemonis astus: neque tamen terreri nos oportet, quia adiuvabit divina gratia. Praeter lumen autem, quod haec Ignatii doctrina affert, ut astus diabolicos agnoscere ac vitare possimus: multum iuvabit, si animum erigamus, et triplex hoc medium adhibeamus: *primum* est, ut magna cum humilitate ac fiducia ad Deum eiusque purissimam Matrem, ad sanctos Angelos, maxime vero ad Angelum custodem, confugiamus: neque enim frustra confugiemus: *secundum* est, ut in omnibus semper puram placendi Deo mentem geramus; huiusmodi enim mens ab omnibus malis nos li-

berabit: *tertium* est, ut serio insistamus quadruplici affectuum generi, methodo christianae vitae, et continuae Dei praesentiae gerendae, prout in Exercitiis a Sto. Ignatio edocemur: iis enim instructi, neque decipi, neque irretiri, poterimus. Maximo autem erit auxilio exercitium de duobus vexillis cum adiecta duplici appendice. Lumine enim inde accepto, aut corniculum alicuius superbiae, aut pedem, gallinaceo similem, falsi alicuius principii, aut caudam serpentinam alicuius minus rectae intentionis detegemus [1]; quae quidem tria insignia daemonem ita distinguunt, ut, quantumvis sub angelo lucis transfiguretur, semper iis deformetur, semper dignoscatur.

In regula octava tria potissimum sunt animadvertenda. Primvm est, ex doctrina, quam Btus. Pater tradit, de ea consolatione, cuius nulla causa praecesserit, cum aliis regulis de spiritibus discernendis collata, multas ex rebus extraordinariis, ex illis etiam, quae ad infusam contemplationem pertinent, facile intelligi posse. Merito igitur initio dicebamus facilia captu illa esse cuique, qui Ignatianorum Exercitiorum libellum apprime calleat: quando enim legerit (ut nonnumquam legere expedit) libros alios, qui late et optime secreta explicant infusae contemplationis, vix novi quidquam, praeter vocabula, reperiet. Insolitos namque modos, quibus Deus in huiusmodi infusa contemplatione se communicat, et haec omnia secreta, videbit ad unum ex tribus capitibus posse revocari. *Primum*, operari Deum in huiusmodi animabus sine praeviis phantas-

1 Alludere videtur auctor ad illa tria, cornua, pedes, gallinaceis similes, et caudam, quibus depingi solet daemon.

matibus cognitioni et volitioni respondentibus; aut etiam sine ullis praeviis phantasmatibus; imo, nonnumquam sine praeviis speciebus impressis. *Secundum*, cum cognitionibus, quarum tamen intensio proportionem cum actuum voluntatis intensione non servet, voluntatem elevari a Deo ad intensissimos actus eliciendos. *Tertium*, ordinarie loquendo, actus huiusmodi contemplationis usum libertatis non prohibere: nam solet Deus infusam hanc contemplationem in meriti augmentum elargiri: si autem eius actus liberi non essent, omni profecto merito carerent; quum fide sit certum, ad meritum requiri actus libertatem. Contingere potest utique, ut libertatis usus vix a patiente agnoscatur: at id minime obstat, quum idipsum evenire etiam soleat in actibus sub gratiae influxu elicitis. Porro haec omnia docuit iam Btus. Pater.

Secvndvm est, quamvis dicat Stus. Ignatius, nihil fallaciae subesse posse, quoties sine praevia ulla causa consolatio nobis adest; ac proinde, huiusmodi consolationem a Deo immitti: non tamen dicere, hanc esse Dei revelationem aut loquutionem. Cuius causa est, quia ad constituendam divinam revelationem aut loquutionem, duo requiruntur: *prius*, ut per aliquod signum, (sive sit externum, ut puta miraculosam aliquam in aere conflictam speciem, aut sonantem vocem: sive sit internum, qualia sunt phantasmata, aut immissae cognitiones,) veritatem aliquam aperiat: *alterum* est, ut Deus ipse probet, signa illa, veritatis manifestativa, accipi tamquam ipsius verbum. Hoc pacto solebat Deus prophetis loqui; imo, et nonnullis adhuc animabus loquitur: praedictam autem approbationem clarissima communiter evidentia manifestat. Iam vero sine neutro eorum, quae diximus,

dari potest consolatio illa, de qua loquitur Stus. Ignatius. Quare, causa cur nulli fallaciae subsit, non est quod semper sit revelatio aut loquutio divina; sed quia supernaturalibus actibus constituitur; hi vero, ut docent Theologi, non sunt obnoxii falsitati.

Tertivm denique est, quamvis praedicta consolatio non semper sit divina revelatio aut loquutio; doctrinam tamen, ibi de consolatione illa traditam, divinae revelationi ac loquutioni recte applicari. In hac enim divina loquutione duo pariter tempora distinguenda sunt: *prius* quidem, in quo revelatio seu loquutio divina actu fit; cui certe nihil prorsus fallaciae subesse potest, ut patet: *alterum* vero est, quod tempus illud prius subsequitur, quando nempe fervet adhuc anima reliquiis praeteritae revelationis aut loquutionis divinae: quo in tempore anima ex propria ratiocinatione potest in errorem labi, et revelatam veritatem existimare id, quod reapse non est revelatum.

Ex qua doctrina intelligi potest cur nonnulli homines sancti revelationes inter se pugnantes perscripserint. Causa est, quia in alterutra aliquid ex proprio attulerunt, utrumque illud tempus minime distinguendo; esto id evenerit sine ulla ipsorum culpa. Quod autem non erraverint, id cognoscendum est ex ipsorum sanctitate ac prudentia; ex iis, a quibus in spirituali via diriguntur; et tandem ex consonantia cum aliis revelationibus, aut Ecclesiae certa doctrina.

CAPVT V

DE REGVLIS AD ELEEMOSYNAS DISTRIBVENDAS

Mirabilis, ut semper, ac paene divina apparet in his regulis Ignatii prudentia: in iis enim, ut eruitur ex sexta ac septima, loquitur potissimum ad viros ecclesiasticos de bonis ecclesiasticis, quae eis ex congrua sustentatione supersint, in eleemosynas aut pios alios usus, distribuendis; at vero, ob reverentiam tanto statui debitam, quantum potest, eorum nomen dissimulat.

Praeterea, quia huiusmodi distributionis obligatio, quam quidem agnoscunt Theologi, dubitatur qualis sit, (opinantibus aliis, esse ex iustitia; aliis, ex religione: distinguentibus aliis inter ipsa ecclesiasticorum bona): praescindit Btus. Pater ab huiusmodi sententiis; illudque unum intendit, ut omnes culpam hac in re devitent, et maxima, qua possint, perfectione operentur.

Citat deinde Concilium Carthaginense tertium, prout abs dubio in aliquo libro legerat: at alii putant fuisse quartum.

Denique in fine septimae regulae omnes, etiam qui ad ecclesiasticum statum non pertinent, docet, qua ratione distribuere debeant bona, quae ex congrua sustentatione superfuerint: quae quidem longe plura, quam vulgo creditur, superessent, si plura commoditati subtraherentur; ut in ipsius regulae initio hortatur. Exemplum porro Sti. Ioachimi et Stae. Annae apud auctores, tum latinos, tum graecos, legitur.

CAPVT VI

DE SCRVPVLIS AC SVASSIONIBVS INIMICI DIGNOSCENDIS

Quamvis erroneum iudicium, quo iudicamus esse peccatum id, quod reapse peccatum non est, (quod quidem iudicium non est communiter tentatio externa a daemone immissa, sed oritur ex ignorantia nostra culpabili ac libera), vulgo *scrupulus* vocari soleat; scrupulus tamen proprie est dubitatio an sit peccatum id, quod peccatum non est [1]. Dubitatio, inquam, seu dubium, nempe iudicium non quidem perfectum, sed imperfectum, ac de rebus inter se contrariis. Huiusmodi porro dubium communiter est ab extrinseco, id est, a daemone immissum, eo nimirum fine, ut primo animi pacem perturbet; deinde vero, aut in peccatum inducat, aut bonum impediat. Id potissimum docet quoad substantiam Btus. Pater in primis tribus paragraphis.

In tribus sequentibus duo praesertim docet. Prius est, daemonem, quemadmodum delicatas animas, quae Deum timent, scrupulis eas delicatiores seu timidiores efficere nititur; ita e contrario, crassiores alias, quae Deum minus timent, longe crassiores, aut minus Deum timentes, efficere conari. Alterum est, huiusmodi animas, earumque Directores, per contrariam viam procedere debere: nempe, relaxando, seu potius in debita soliditate conservando, eam animam, quam daemon

1 Ita P. Ferrusola. Communiter autem definitur scrupulus cum S. Antonino: «Vacillatio quaedam consurgens cum formidine ex aliquibus coniecturis *debilibus* et *incertis*.»

restringit; at strictiorem faciendo eam, quam inimicus relaxare conatur.

En Ignatiana de scrupulis doctrina, nec non de nimia conscientiae laxitate; plura enim quam promittit Stus. Pater docere solet. Haec autem adeo brevis doctrina est fundamentum eorum omnium, quae tradunt Theologi et Magistri de ipsis scrupulis, deque eorum causis signis, remediis, etc., ut facile demonstrari posset, et quod ad remedia spectat, est manifestum. Omnes enim iterum iterumque id repetunt, relaxandum quod daemon restringit: inde illa, quae ab ipsis docentur, eo saepe scrupulosos devenire, ut confiteri permittendi non sint, nisi quae certo sciant esse peccatum, et certo constet non fuisse confessos: item, omnia eis licere, quae certo non constet esse peccatum. Neque singula haec a Sto. Ignatio exprimuntur; quod summae prudentiae est: nam huiusmodi singulis a proprio Confessario, qui eorum statum probe noverit, applicanda sunt.

Auctores duos in textu affert Btus. Pater, Gregorium Magnum et Bernardum; neque alii in toto libro citantur. Vtrumque vero latino sermone citat: quare coniicere licet, utrumque textum additum fuisse Barcinone, postquam latinam linguam didicerat. Causa vero huius additionis afferri potest procella illa molestissimorum scrupulorum, quibus initio conversionis iactatus est; et non minus molesta gloriae vanae tentatio, quam passus est post unum alterumve annum. Prior enim illarum auctoritatum eum movebat, ut gratias Deo ageret ob praeteritum laborem; posterior autem animos addebat contra tentationem praesentem. Quoniam vero utramque sibi scripserat, latinae iam linguae perito, hispanice reddere omisit.

CAPVT VII

DE REGVLIS AD SENTIENDVM CVM ORTHODOXA ECCLESIA

Flammae ac lumina prudentissimi zeli emicant ex octodecim his regulis, quibus Stus. Ignatius Exercitiorum opus coronat. Et licet earum nonnullae ad Concionatores potissimum, aliosque, qui publice docent, dirigantur; universis tamen utilissimae sunt; tum ut a prava doctrina cavere possint; tum ut privatis in sermonibus et loqui, et silere discant.

Neque cogitari posse videntur efficaciora documenta ad christianam fidem pietatemque in populo conservandam et promovendam, et ad liberandos fideles ab omni curiositate vana aut periculosa nimietate, quam huiusmodi regulae. Sunt ipsae speciali modo gladius adversus haereses omnes temporum hodiernorum, contra quas, ut his praesertim regulis pugnaret, electus est Ignatius a Christo eiusque Matre beatissima, et iussus, Manresae adhuc degens, illas perscribere. Inde illud quod in officio Bti. Patris legitur: «Haeresi bellum indixit eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo [1], Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero eiusdemque temporis haereticis, Ignatium et institutam ab eo Societatem obiecisse [2].»

Circa primam igitur regulam dico, existimaturos christianos omnes, habere se eum, qui ibi postulatur, animum: at vero, ea tepiditate complures laborant, ut

1 Pii IV. Pii V. Greg. XV. Urb. VIII. etc.
2 Noct. II. Lect. II.

neque contrarium omne iudicium deponant, et liberiores nonnullas foveant de Hierarchicae Ecclesiae infallibitate ac sanctitate sententias; quod ex fide parum firma oritur. Vtrumque corrigitur in hac prima regula, quae est reliquarum omnium fundamentum. Omnibus ergo excitanda est fides in Christum eiusque Sponsam Ecclesiam, ad cuius institutionem, auctoritatem, perfectionem, omnes suas cogitationes, omnia sua merita contulit; «Quam acquisivit sanguine suo [1],» et «Seipsum tradidit pro ea, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed ut sit sancta et immaculata [2];» ipsa est «Columna et firmamentum veritatis [3]» et «Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus [4]». Quam videlicet fidem si excitaverimus, si ex ea vixerimus, «Iustus autem ex fide vivit [5];» eo animo in Hierarchicam Ecclesiam erimus, quem postulat Stus. Ignatius: Hierarchicam, inquam, eo sensu, quo supra [6] diximus.

Regula secunda, et sequentes usque ad octavam, ea continent, quae nonnullis, (rerum potius superficiem, quam intimam naturam, aspicientibus, licet id ob suam vanitatem ipsi non credant), parvi certe momenti videbuntur. Nae falluntur isti; ignorant enim quanti sit momenti, quamque delicata, pietas et reverentia erga Deum ac res divinas. Neque tamen vult Btus. Pater, ut

1 Act. xx. 28.
2 Eph. v. 25–27.
3 1. Thimoth. III. 15.
4 Matth. XVIII. 17.
5 Rom. I. 17.
6 P. II. Sect. VIII. Cap. II.

excessus, qui in hac re evenire solent, probemus; at reverendi semper sunt status et res sacrae.

Debitum profecto est Superiori cuicumque id, quod in nona regula statuitur, ut causas quaeramus ad eius mandata defendenda; praesumptio namque ei favet: nisi ergo certo constet, prava illum iubere; sine ullo examine parendum ei est. Quanto igitur magis, quando huiusmodi Superior est ipsa Dei Ecclesia?

Extollitur in decima regula, idque summa cum prudentia et iustitia, obedientia caeca, qua Superioribus, non modo spiritualibus seu ecclesiasticis, verum secularibus etiam seu temporalibus, obtemperandum est. Ad idipsum hortantur Sacrae Litterae; ut «Non est potestas nisi a Deo» [1], et «Subiecti estote sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis [2],» et inferius «Deum timete, regem honorificate [3].»

In undecima regula distinguit Btus. Pater theologiam in scholasticam, et positivam: quo posteriori nomine complectitur omnem theologiam non scholasticam, expositivam nempe, dogmaticam, mysticam, asceticam, etc. Dubitari hic potest, utrum ea Manresae scripserit, an postea, quando utriusque huius theologiae peritus fuerit. Equidem cum eo, qui negaret, scripta fuisse eo tempore, quo Manresae vitam agebat, haud mordicus contenderem; sicut nonnulla aliqua, minoris certe momenti, libro non nisi postea adiecit: si tamen excipias, ea, quae ignarus latinae linguae scri-

1 Rom. XIII. 1.
2 1. Petr. II. 13.
3 Ibid. 17.

bere non potuit; reliqua omnia Manresae scripta fuisse arbitror, ut ex ipsa textus simplicitate inferri licet. Neque ipsa latinae linguae imperitia me moveret, ut allatam exceptionem admitterem, nisi constaret, noluisse Christum eiusque Matrem beatissimam huius linguae cognitionem infundere Ignatio, Manresae degenti; sed ei addiscendam commisisse, magno quidem labore suo, non minori autem exemplo nostro. Caeteroqui, una illa visione, qua sedens ad ripam fluminis Cardoner caelitus recreatus est paulo ante quam librum Exercitiorum scriberet, tot ac tanta edoctus est, ut ad omnia, quae in eo scripsit, intelligenda, abunde sufficerent.

Duodecima ac decima tertia apertae sunt. Solidissimum est illud tertiae decimae: «Vt album, quod ego video, credam esse nigrum, si Ecclesia Hierarchica ita illud [esse] definiat:» sensus enim ac discursus (quantumvis mihi evidentes videantur,) errori sunt obnoxii; Ecclesiae vero Hierarchicae definitiones ab omni errore sunt immunes. Iterum vero adiicit appositum illud «Hierarchica;» quia respicit praesertim Christi Vicarium, totius hierarchiae caput ac praecipua origo.

Apertae similiter sunt septem postremae regulae quae, ut nuper diximus, ad concionatores potissimum et publicos doctores referuntur, simulque sunt perutiles universis. Paralogismum autem de praedestinatione hac similitudine Btus. Pater dissolvebat: quemadmodum enim nemo anxius et afflictus haereret, utrum nummos centum, quos exoptat, obtenturus reapse esset, si certissimo sciret, esse in sua potestate quiddam cum obtentione nummorum infallibiliter connexum; ita pariter nemo, qui mente captus non sit, de sui praede-

stinatione anxius esse debet, quum ex fide certissimi simus, in nostra potestate illud esse, quod infallibiliter cum nostra praedestinatione connectitur: id autem est, letale peccatum non admittere, ut admonet Apostolorum Princeps [1]: «Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: haec enim facientes, non peccabitis aliquando:» quod quidem et in nostra potestate est, et certam nostram vocationem et electionem facit.

1 2. Petr. I. 10.

A. M. D. G.

INDEX

Lectori benevolo. . . . . pag. 7
Vita P. Petri Ferrusolae. 9

PARS PRIOR

EXPLANATIO VIGINTI ADNOTATIONVM, QVAE EXERCITIA PRAECEDVNT

SECTIO I

DE ADNOTATIONIBVS GENERATIM CONSIDERATIS

Caput I. Adnotationes, non Exercitiis pressius sumptis, sed Documentis, annumerandas esse.. 33
Caput II. De Adnotationum ordine.. 36
Caput III. Adnotationes dirigi potissimum ad Instructorem, eumque esse necessarium.. 37

SECTIO II

DE PRIORI EXERCITIORVM DEFINITIONE, QVAE IN PRIMA ADNOTATIONE TRADITVR

Caput I. Statuitur similitudo exercitii spiritualis et corporei. 39
Caput II. In praedicta similitudine tangi sollemnem illam divisionem viae spiritualis in purgativam, illuminativam et unitivam. 44
Caput III. In praedicta similitudine diversam significari rationem, qua homo divinae gratiae cooperatur variamque, eiusdem gratiae mensuram.. 47

Capvt iv. Quid sit meditatio, quid contemplatio, et quotuplex earum species. 52
Capvt v. Quid de contemplatione doceat Sanctus Ignatius in libro Exercitiorum. 55

SECTIO III

DE ALTERA EXERCITIORVM DEFINITIONE, QVAE IN EADEM PRIMA ADNOTATIONE TRADITVR, AC DE PRIMO EORVM FINE

Capvt i. De triplici Exercitiorum fine. 62
Capvt ii. De quadruplici affectuum genere, seu de primo Ignatianorum Exercitiorum fine. 64
Capvt iii. De duplici humanarum affectionum deordinatione. 68
Capvt iv. In tollendis posterioribus inordinatis affectionibus, maiorem esse difficultatem, quam in prioribus. . 72
Capvt v. Divisio inordinatarum affectionum in quatuor genera, cui respondet Exercitiorum divisio in quatuor hebdomadas. 73
Capvt vi. De exercitiis meditationum unicuique hebdomadae propriis, quibus tollenda sunt singula deordinatarum affectionum genera. 77
Capvt vii. De aliis exercitiis, deque documentis, cuique hebdomadae peculiaribus, ad obtinenda quatuor illa affectuum seu virtutum genera. 81
Capvt viii. De pleniori cognitione methodi, qua Stus. Ignatius Exercitia disposuit. 83
Capvt ix. Quomodo Ignatiana Exercitiorum methodus tutiorem facilioremque triplicis viae methodum efficiat. . 88
Capvt x. Ratio coniungendae Ignatianae methodi cum methodo triplicis viae. 90

SECTIO IV

DE METHODO CHRISTIANAE VITAE, QVAE EST SECVNDVS EXERCITIORVM FINIS

Capvt i. Quid sit christianae vitae methodus. 93
Capvt ii. De conficienda methodo christianae vitae. . . 95
Capvt iii. Quanti methodum christianae vitae Stus. Ignatius fecerit. 97

SECTIO V

DE CONTINVA DEI PRAESENTIA, QVAE OMNIVM PRAECIPVVS EST EXERCITIORVM FINIS

CAPVT I. In quonam consistat continua Dei praesentia. . 98
CAPVT II. Tria notatu digna ad pleniorem huius rei intelligentiam. 100
CAPVT III. In quonam sita sit divina gloria, per continuam Dei praesentiam quaerenda. 102
CAPVT IV. Cur continuam Dei praesentiam vocaverit Stus. Ignatius «quaerere et invenire divinam voluntatem». . 106
CAPVT V. Cur S. Ignatius continuam hanc Dei praesentiam constituerit finem Exercitiorum principalem. . . 108
CAPVT VI. Tria consectaria, quae ex praedictis eruuntur.. 112

SECTIO VI

DE ARTE TRADENDI PVNCTA

CAPVT I. In tradendis punctis servandum esse modum et ordinem. 115
CAPVT II. Praedictum actuum ordinem ac distinctionem fundari tum in ipsa hominis natura, tum in natura mentalis orationis.. 117
CAPVT III. De aliis significationibus illorum verborum *modus* ac *ordo*. 120
CAPVT IV. De fidelitate ab Instructore servanda in tradendis punctis considerationi.. 122
CAPVT V. De brevitate punctorum ponderationi exponendorum. 126
CAPVT VI. De ratiocinatione atque divina illustratione, quibus fit ponderatio. 130
CAPVT VII. De utilitate proprii discursus exercendi in ponderatione. 132
CAPVT VIII. De aliis, quae ab Instructore praestanda sunt in punctorum explanatione. 134
CAPVT IX. De maiori reverentia adhibenda, quando cum Deo vel cum Sanctis colloquimur. 136

SECTIO VII

DE DVRATIONE EXERCITIORVM

Caput i. De causis cuiusque hebdomadae producendae aut contrahendae. 140
Caput ii. Tria documenta ad Exercitiorum durationem definiendam pertinentia. 143
Caput iii. De Exercitiorum duratione per xxx dies. . . . 146
Caput iv. De Exercitiorum duratione per x aut viii dies. . 149

SECTIO VIII

RATIO AGENDI AB INSTRVCTORE TENENDA CVM EO, QVI EXERCITIIS VACAT

Caput i. De magnanimitate ac liberalitate, qua quis ad Exercitia accedere debet. 152
Caput ii. Quid agendum cum illo, qui diversorum spirituum agitationibus non pulsatur. 154
Caput iii. Quid cum tentato cavendum. 157
Caput iv. Quid vitandum cum eo, qui crassis quibusdam apertisque tentationibus vexatur. 159
Caput v. Quid agendum cum tentato sub boni specie. . . 160
Caput vi. Iis, qui Exercitiis vacant, non esse aperienda quae sequuntur. 163
Caput vii. Praefixum meditationi vel orationi spatium non decurtandum. 165
Caput viii. Exercitii tempus, incidente desolatione, producendum, nedum decurtandum, esse. 168
Caput ix. Quid cavendum cum eo, qui multa consolatione fertur. 169
Caput x. Eum, qui exercitatur, permittendum esse, ut a Deo moveatur. 171
Caput xi. Si anima ad aliquid inordinate inclinetur, nitendum ei esse in contrarium. 174
Caput xii. Aperiendas esse Instructori proprias agitationes cogitationesque, non vero peccata, ab eo, qui se exercet. 176

SECTIO IX

DE VARIA RATIONE TRADENDI AC PERAGENDI EXERCITIA

Caput i. Principia quinque generalia ad dicendorum intelligentiam peropportuna. 178
Caput ii. De quatuor dispositionibus, quibus accedi solet ad Exercitia suscipienda, et de quadruplici eorum tradendorum ratione, illis dispositionibus respondente. . 183
Caput iii. De triplici generica ratione tradendi ac suscipiendi Exercitia. 188
Caput iv. De triplici Exercitiorum specie sub unoquoque e tribus hisce generibus contenta. 190
Caput v. De secessione servanda in Exercitiis. 194

PARS ALTERA

EXPLANATIONES IPSORVM EXERCITIORVM

SECTIO I

PRAEAMBVLA AD VNIVERSA EXERCITIA

Caput i. De inscriptione a Sto. Patre Ignatio Exercitiis praefixa. 201
Caput ii. De prima Exercitiorum hebdomada in genere. . 203
Caput iii. De fine primae hebdomadae, deque mediis ad illum obtinendum a Sto. Patre adhibitis. 206
Caput iv. De documento, quod ante principium et fundamentum reperitur. 211
Caput v. De ipsa principii ac fundamenti inscriptione. . 214
Caput vi. De fine ultimo hominis. 218
Caput vii. De fine aliarum creaturarum super terram. . 221
Caput viii. De indifferentia in usu creaturarum. 224
Caput ix. Indifferentiam, quam docet S. Ignatius in principio ac fundamento, non opponi virtuti orationis. . . 225

SECTIO II

DE TRIPLICI EXAMINE PRIMAE HEBDOMADAE PROPRIO

CAPVT I. De triplici tempore examinis particularis. . . . 231
CAPVT II. De quatuor additionibus, ad examen particulare spectantibus. 235
CAPVT III. De examine generali. 236
CAPVT IV. De externa humanarum cogitationum causa. . 237
CAPVT V. De humanae cogitationis merito ac demerito. . 240
CAPVT VI. Quomodo in prava cogitatione peccari venialiter possit. 241
CAPVT VII. De malitia peccati mortalis externo opere completi. 245
CAPVT VIII. De iuramento. 247
CAPVT IX. De verbo otioso. 249
CAPVT X. De infamia et murmuratione. 252
CAPVT XI. De peccatis opere completis. 255
CAPVT XII. Praxis examinis generalis. 257
CAPVT XIII. De confessione generali ac de communione. . 260

SECTIO III

DE EXERCITIIS PRIMAE HEBDOMADAE

CAPVT I. De primo exercitio in genere. 263
CAPVT II. De oratione praeparatoria ac de praeambulis in genere. 264
CAPVT III. De punctis et colloquiis in genere. 267
CAPVT IV. De loci compositione in primo exercitio. . . . 270
CAPVT V. De petitione in primo exercitio facienda. . . . 272
CAPVT VI. De affectibus in primo exercitio excitandis. . . 274
CAPVT VII. De campo Damasceno, cuius meminit S. Ignatius in hoc primo exercitio. 276
CAPVT VIII. De colloquio faciendo in primo exercitio. . . 278
CAPVT IX. De secundo praeambulo, et primo puncto secundi exercitii primae hebdomadae. 279
CAPVT X. De secundo puncto secundi huius exercitii. . . 282
CAPVT XI. De reliquis tribus huius exercitii punctis. . . 285
CAPVT XII. De tertio et quarto exercitio, seu de repetitione. 288

Caput xiii. De colloquiis faciendis in huiusmodi repetitionibus. 291
Caput xiv. De quinto exercitio ac de sensuum applicatione. 297

SECTIO IV

DE DOCVMENTIS IN FINE PRIMAE HVIVS HEBDOMADAE A STO. IGNATIO TRADITIS

Caput i. De prima ac secunda Additione. 301
Caput ii. De sequentibus septem Additionibus. 304
Caput iii. De Additione decima, seu de poenitentia.. . . 308
Caput iv. De quatuor notis decimae Additioni subiectis. . 312

SECTIO V

DE SECVNDA HEBDOMADA IN GENERE, DEQVE EXERCITIIS PRIMA DIE FACIENDIS

Caput i. De affectibus in secunda hebdomada concipiendis. 315
Caput ii. Nonnulla universim notanda in exercitio de Regno Christi. 319
Caput iii. Nonnulla in eodem exercitio speciatim notanda. 322
Caput iv. De librorum lectione a Sto. Ignatio inde permissa. 328
Caput v. De nova punctorum ratione, quae traditur in prima contemplatione primae diei. 332
Caput vi. Nonnulla alia notanda in hac prima contemplatione. 335
Caput vii. De reliquis primae huius diei exercitiis.. . . 337

SECTIO VI

DE EXERCITIIS QVARTA DIE SECVNDAE HEBDOMADAE FACIENDIS

Caput i. De status electione in genere. 339
Caput ii. Duobus quaesitis respondetur.. 344
Caput iii. De exercitio duorum vexillorum in genere. . . 347
Caput iv. Quo sensu usurpentur in hoc exercitio voces illae *superbia* et *humilitas*. 349

Caput v. De triplici vita, contemplativa, activa et mixta. . 354
Caput vi. Zelum animarum in exercitio de duobus vexillis tradi in singulis his vitis exercendum. 358
Caput vii. De petitione tolerandi opprobria et iniurias, quae sine Dei offensione tolerari possint.. 361
Caput viii. De triplici hominum classe. 363

SECTIO VII

DE RELIQVIS SECVNDAE HEBDOMADAE EXERCITIIS AC DOCVMENTIS

Caput i. De reliquiis secundae hebdomadae exercitiis. . 367
Caput ii. De triplici humilitatis gradu. 370
Caput iii. De praeludio ad electionem faciendam. . . . 376
Caput iv. Quibus de rebus facienda sit electio. 378
Caput v. De triplici rectae electionis tempore. 381
Caput vi. De duplici modo faciendae electionis. 384
Caput vii. De emendatione ac reformatione propriae vitae ac status.. 386

SECTIO VIII

DE TERTIA ET QVARTA HEBDOMADA

Caput i. De tertia hebdomada in genere. 389
Caput ii. De tertiae hebdomadae contemplationibus. . . 393
Caput iii. De regulis ad victum recte temperandum. . . 396
Caput iv. De quarta hebdomada in genere.. 397
Caput v. De quartae hebdomadae contemplationibus.. . 400
Appendix. § i. Quid sit praetextus spiritualis. 402
§ ii. De affectionibus inordinatis quartae hebdomadae propriis. 404
§ iii. De mediis a Bto. Patre in quarta hebdomada allatis ad has inordinatas affectiones auferendas. 408

SECTIO IX

DE DOCVMENTIS POST QVATVOR EXERCITIORVM HEBDOMADAS TRADITIS

Caput i. De triplici orandi modo. 413
Caput ii. De mysteriis vitae Christi. 414
Caput iii. De regulis ad motus animae dignoscendos. . . 415

Caput iv. De regulis aliis ad pleniorem spirituum discretionem utilibus.. 418
Caput v. De regulis ad eleemosynas distribuendas.. . . 423
Caput vi. De scrupulis ac suassionibus inimici dignoscendis. 424
Caput vii. De regulis ad sentiendum cum orthodoxa Ecclesia. 426

CORRIGENDA

Pag.	47	lin. 12	corporae	*lege* corporeae
»	133	» 10	spirituales	» spiritualis
»	190	» 24	genera	» genere
»	191	» 1-2	duae... horae	» duas... horas
»	221	» 12	supernaturaliam erita	» supernaturalia merita
»	237	3	nonfitendum	» confitendum
»	261	18	divinis	» diyinus
»	352	» ult.	id	» in